

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
27 B
17

Digitized by Google

II a 121 f 3a

Digitized by Google

16
A
18

Digitized by Google

PETRI

POMPONATII MANTVANII, TRACTATVS *DE* IMMORTALITATE ANIMÆ.

M. D. XXXIV.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

P. POMPONATII. MANTVANII, TRACTATVS DE IMMORTALITATE ANIMÆ.

PROEMIVM CONTINENS intentionem, ſeu libri, materiam & cauſam intentionis.

FRATER Hieronymus Natalis Raguſæus ordinis Prædicatorum, cum aduerſa laborarem valetudine, ſicuti eſt vir humaniſſimus noſtriq; amantiſſimus ad nos ſe frequentiùs recipiebat, cúmque quodam die minus me vexari à morbo conſpiceret, vultu adeo demiſſo ſic orſus eſt: Chariſſime Præceptor ſuperiori-

Digitized by Goo

P. POMPONATII. MANTVANII, TRACTATVS DE IMMORTALITATE ANIMÆ.

PROEMIVM CONTINENS intentionem, ſeu libri, materiam & cauſam intentionis.

FRATER Hieronymus Natalis Raguſæus ordinis Prædicatorum, cum aduerſa laborarem valetudine, ſicuti eſt vir humaniſſimus noſtríq; amantiſſimus ad nos ſe frequentiùs recipiebat, cùmque quodam die minus me vexari à morbo conſpiceret, vultu adeo demiſſo ſic orſus eſt: Chariſſime Præceptor ſuperiori-

Digitized by Google

bus diebus cum primum de cœlo nobis exponeres, perueniſſeſque ad locum illum in quo Ariſtoteles ingenitum & incorruptibile conuerti pluribus argumentationibus contendit oſtendere, dixiſti Diui Thomæ Aquinatis poſitionem de animorum immortalitate, quanquam veram & in ſe firmiſſimam nullo pacto ambigeres, Ariſtotelis tamen dictis minimè conſonare cenſebas; Ea propter niſi tibi moleſtum eſſet à te duo intelligere maximè deſiderarem; primum ſcilicet quid reuelationibus & miraculis ſemotis, perſiſtendóque purè infra limites naturales hac in re ſentis, alterum verò quamnam ſententiam Ariſtotelis in eadem materia fuiſſe cenſes? At ego cum omnium ibi aſtantium idem maximum deſiderium conſpicerem (etenim multi aderant) ſic tunc ipſe reſpondi, Dilectiſſime Fili, voſque cæteri, etſi non parùm petis, altiſſimum enim huius negotium eſt, cum omnes ferè illuſtres Philoſophi in hoc laborarunt; quoniam tamen nonniſi rem quam poſſum quid ſcilicet exiſtimem poſtules, facile etenim eſt hoc tibi aperire, imo libenti animo tibi morem geram; cæterùm verò an ita ſe habeat res vt exiſtimo petitiores conſules: Rem igitur Deo duce aggrediar.

Digitized by Google

In quo oſtenditur hominem eſſe accipitis naturæ, mediumque inter mortalia & immortalia.

CAPVT I.

INitium autem conſiderationis noſtræ hinc ſumendum duxi, hominem ſcilicet non ſimplicis ſed multiplicis, non certæ ſed accipitis naturæ eſſe, mediúmque inter mortalia & immortalia collocari; hoc autem videre apertum eſt, ſi eius eſſentiales operationes ex quibus eſſentiæ notificantur inſpexerimus, eo etenim quod vegetatiuæ & ſenſitiuæ opera exercet, quæ vt 2. de anima, 2. de gener. anim. cap. 3. traditur, ſine inſtrumento corporali caducóque exerceri non poſſunt, mortalitatem induit; eo autem quod intelligit & vult, quæ operationes vt per totum librum de anima & 1. de part. anim. cap. 1. & 2. gener. anim. cap. 3. habetur, ſine inſtrumento corporali exercentur, & ſeparabilitatem, immaterialitatem, & immortalitatem arguunt, inter immortalia communerandus eſt: ex quibus tota colligi poteſt concluſio, non ſimplicis ſcilicet naturæ eſſe, cum tres

animas vt ferè ita dixerim includat, vegetatiuam videlicet, ſenſitiuam, & intellectiuam, ancipitemque naturam ſibi vendicare; cum neque ſimpliciter mortalis, neque ſimpliciter immortalis exiſtat, verùm vtramque naturam amplectatur: Quapropter bene enunciauerunt antiqui, cum ipſum inter æterna & temporalia ſtatuerunt, ob eam cauſam quòd neque purè æternus, neque purè temporalis ſit, cum de vtraque natura participet, ipſique in medio exiſtenti data eſt poteſtas vtrum velit naturam induat; quo factum eſt vt tres modi hominum inueniantur, quidam namque inter Deos connumerati ſunt licet perpauci; & hi ſunt qui ſubiugatis vegetatiua & ſenſitiua quaſi toti rationales effecti ſunt; quidam vero ex toto neglecto intellectu, ſolíſque vegetatiuæ & ſenſitiuæ incumbentes quaſi in beſtias tranſmigrauerunt; & hoc fortaſſis voluit Apologus Pythagoræus cum dixit animas humanas in diuerſas beſtias tranſire; quidam verò puri homines nuncupati ſunt, & hi ſunt qui mediocriter ſecundùm virtutes morales vixerunt, non tamen ex toto intellectui incubere, neque prorſus virtutibus corporeis vacauere, horum tamen modorum vnuſquiſque magnam habet latitudinem, ſicuti videre apertum eſt, huic etiam conſonat quod in pſalmo dicitur, minuiſti eum pauló minùs ab Angelis.

In quo ponuntur modi, quibus dicta multiplicitas humanæ naturæ intelligi poteſt.

CAPVT II.

VIſa itaque multiplici ancipitíque hominis natura, non ea quidem quæ ex compoſitione materiæ & formæ reſultat, ſed ea quæ ex parte ipſius formæ ſeu animæ; videndum reſtat cum immortale & mortale oppoſita ſint, quæ de eodem affirmari nequeunt, meritò quis ambiget quomodo fieri poſſit vt hæc ſimul de anima humana dicantur: etenim hoc videtur non leue: Quare vel vna & eadem natura ſtatuetur, quæ ſimul mortalis & immortalis ſit aut altera & altera; quòd ſi ſecundum detur, hoc tribus modis intelligi poterit; aut igitur ſecundùm numerum hominum erit numerus mortalium & immortalium, vt pote in Socrate erit vna immortalis & vna aut duæ mortales, & ſic de cæteris, ſic quòd vnuſquiſque propriam mortalem & immortalem habeat; Aut potiùs in omnibus hominibus vna tantùm ſtatuetur immortalis, ſecundùm vnumquemque autem ho-

minem mortales ſunt diſtributæ & multiplicatæ, an magis è conuerſo immortalem multiplicatam, mortalem verò omnibus communem ponemus; ſi verò altera pars magis eligatur, videlicet quòd per vnam & eandem homo ſit mortalis & immortalis, cum fieri non poſſe videatur quòd oppoſita de eodem dicantur, ſimpliciter fieri nequit vt eadem ſit mortalis & immortalis, verùm vel ſimpliciter erit immortalis & ſecundùm quid mortalis, aut potius viceuerſa ſimpliciter mortalis & ſecundùm quid immortalis, an magis vtrúmque ſecundùm quid amplexa eſt, ſcilicet ſecundùm quid mortalis, & ſecundùm quid immortalis: his etenim tribus modis ſatis contradictio euitari poterit: Colligenti ergo ſex modis iſtud imaginari poterit, veluti diſcurrenti & colligenti apparet.

In quo ponitur modus affirmans animum immortalem eſſe vnum numero, mortalem vero eſſe multiplicatum, quem modum Themiſtius & Auerroes inſequuti ſunt.

CAPVT III.

Ex iſtis igitur ſex modis enumeratis quatuor acceperunt iudices, duo verò euanuerunt; nullus enim poſuit imma-

terialem multiplicari, materialem verò eſſe vnum numero, & hoc rationabilite quoniam inimaginabile eſt vnam rem corpoream eſſe in tot diſtinctis loco & ſubiecto, & maximè ſi eſt corruptibilis: Similiter nullus poſuit eandem rem æqualiter eſſe mortalem & immortalem, ſicuti nihil æqualiter poteſt conſtitui ex duobus contrariis, ſed ſemper oportet vnum alteri prædominari, vt oſtenditur 1. de cœlo tex. comm. 7. & 2. de gener. 47. & 10. metaph. 23. Sigillatim igitur de illis quatuor reſiduis.

Auerroes itaque, & vt exiſtimo ante eum Themiſtius concordes poſuere animam intellectiuam realiter diſtingui ab anima corruptibili verùm ipſam eſſe vnam numero in omnibus hominibus mortalem verò multiplicatam.

Primi autem dicti ratio eſt, quoniam cum viderunt Ariſtotelem ſimpliciter probare intellectum poſſibilem eſſe immixtum & immaterialem, & per conſequens æternum, omniaque eius verba ad hoc tendere vt inſpicienti libros de anima liquet, crediderun tque rationem Ariſtotelis in ſe veram eſſe, affirmauerunt ſimpliciter intellectum eſſe immortalem; cum autem vlterius viderunt animam ſenſitiuam & vegetatiuam de neceſſitate in ſuis officiis organo corporeo indigere, vt ex locis ſuperiùs citatis apparet,

tale autem de neceſſitate corporeum & caducum eſt, concluſerunt talem animam ſimpliciter eſſe mortalem: verùm cum fieri nequeat vt eadem res ſimpliciter & abſolutè mortalis & immortalis ſit, coacti ſunt ponere immortalem à mortali realiter diſtingui; Themiſtius quoque in hanc ſententiam trahere conatur Platonem, inducítque verba Platonis in Timæo quæ manifeſtè videntur hoc prætendere: Quod vero vnicus ſit intellectus in omnibus hominibus ſiue poſſibilis ponatur, patere poteſt ex eo quoniam apud Peripateticos eſt celebrata propoſitio, multiplicationem indiuiduorum in eadem ſpecie non poſſe eſſe niſi per materiam quantam, vt dicitur 7. & 12. metaph. & 2. de anima: Quo autem modo ſoluantur dubitationes contra hunc modum, apparet eorum libros, & ſuorum ſectatorum intuendo: hîc enim intendimus abbreuiare, ſolúmque referre quæ neceſſaria ſunt.

In quo dicta opinio Auerrois impugnatur.

CAPVT IV.

QVamuis hæc opinio tempeſtate noſtra ſit multùm celebrata, & fere ab omnibus pro conſtanti habeatur eam eſſe

Ariſtotelis, mihi tamen videtur quod nedum in ſe ſit falſiſſima, verum inintelligibilis, & monſtruoſa, & ab Ariſtotele prorſus aliena; imò exiſtimo quòd tanta fatuitas nunquam fuerit nedum credita, verùm excogitata: Et primò quidem de eius falſitate nihil noui intendo adducere, ſed tantùm lectorem remittere ad ea quæ latinorum decus Diuus Thomas Aquinas, & in libro proprio contra vnitatem intellectus, & in 1. part. ſummæ & *l.* 2. contra Gentiles, & in quæſtionibus diſputatis de anima, & in multis aliis locis ſcribit; etenim tam luculenter, tam ſubtiliter aduerſus hanc opinionem inuehitur, vt ſententia mea nihil intactum, nullamque reſponſionem quam quis pro Auerroe adducere poteſt impugnatam relinquat; totum enim impugnat, diſſipat, & annihilat, nullumque Auerroiſtis refugium relictum eſt, niſi conuitia & maledicta in Diuinum & Sanctiſſimum virum: ſed quoad ſecundum hæc paucula quæ mihi plenam fidem faciunt adducere reſtatui, videlicet hoc alienum eſſe ab Ariſtotele, verùm hoc eſſe figmentum, & monſtrum ab Auerroe confictum.

Primò quoniam talis anima intellectiua, vel habet aliquam operationem omninò independentem à corpore tanquam à ſubiecto & obiecto, vel nullam; ſecundum dici non poteſt, cum ſibi re-

pugnet & rationi, ſibi quidem, quoniam comm. 12. lib. 1. de anima in fine hæc dicit, & non intendit per hoc id quod apparet ex hoc ſermone ſuperficie tenus, ſcilicet quod intelligere non ſit niſi cum imaginatione, tunc enim intellectus materialis erit generabilis & corruptibilis ſicut intelligit Alexander: Ex quibus liquet quòd intellectus ſecundùm Auerroem habet aliquam operationem omnino independentem à corpore: Ratione etiam illud firmatur, quoniam intellectus non eſt forma conſtituta in eſſe per ſubiectum; Ergo non dependens à ſubiecto in eſſe; Ergo neque in operari, cum operatio ſequatur eſſe: verùm quòd hoc Ariſtoteli non conſonet eiuſque ſententiæ contrarietur ſatis patet, cum Ariſtoteles in fine citati textus 12. lib. 1. de anima dicat, intelligere aut eſſe phantaſiam aut non eſſe ſine phantaſia: & quamuis ibi conditionaliter loquatur, tamen 3. de anima tex. 39. clariſſimè dicit, quod non eſt intelligere abſque phantaſmate, quod ex experimento comprobatur, nullo igitur modo intellectus humanus ſecundùm Ariſtotelem habet operationem prorſus à corpore independentem, quod eſt oppoſitum conceſſi.

Ad hoc non video aliam reſponſionem niſi quòd argumentum oſtendit de intelligere humano, & quatenus per eum in-

tellectum homo dicitur intelligens: ſic enim verificatur quod ſemper indiget phantaſmate; in intellectione enim noua, & ante adeptionem illud manifeſtum eſt: in intellectione verò æterna, ſiue in ipſa adeptione illud etiam veritatem tenet, cum ſecundùm ipſum intellectus poſſibilis diſponatur ad ſuſceptionem intellectus agentis tanquam formæ per habitus ſpeculatiuos qui dependent in conſeruari à virtute ſenſitiua, vt ipſe dicit 3. de anima comm. 39. verùm ſi ſecundùm ſe ſumatur intellectus nequaquam à phantaſmate dependet.

Quamuis autem iſtud ſatis ingenioſè dicatur, nihil tamen videtur proficere, quoniam ſecundùm communem definitionem animæ, anima eſt actus corporis phyſici organici, &c. Ergo anima intellectiua eſt actus corporis phyſici organici: cum itaque ſecundum eſſe intellectus ſit actus corporis phyſici organicis ergo & in omni ſuo opere dependebit ad organo, aut tanquam ſubiecto, aut tanquam obiecto: nunquam ergo totaliter abſoluetur ab organo.

Hinc fortè dicitur quòd ita eſt de anima, ſicut & de cæteris intelligentiis: etenim Commentator ipſe comm. 19. lib. 3. de anima ponit ipſam eſſe vltimam intelligentiarum; Cæteræ autem intelligentiæ dupliciter conſiderari poſſunt:

vno modo in ſe, & non vt actuant corpus cœleſte, & ſic non ſunt animæ, habentque operationes nullo modo à corpore dependentes, ſicut intelligere & deſiderare, alio autem modo conſiderari poſſunt, vt actuant corpora cœleſtia, & ſic conuenit eis eſſe animas, imò & data definitio de anima eis conuenit, ſic enim ſunt actus corporis phyſici organici, licet ſatis æquiuocè illa definitio dicatur, vt ipſemet Commentator dicit commen. 5. lib. 3. de anima; ſunt enim corpora cœleſtia animalia, vt 8. de Phyſico auditu. 2. de cœlo. & 12. metaph. ponit Ariſtoteles, *licet* ſatis æquiuocè, ſicut & ipſe commentator dicit libro de ſubſtantia orbis: Quare & anima intellectiua duobus etiam modis conſiderari poterit: vno enim modo vt eſt infima intelligentiarum, & non in ordine ad ſuam ſphæram ſcilicet hominem, & ſic nullo modo dependet à corpore, neque in eſſe, neque in operari, quare neque vt ſic eſt actus corporis phyſici organici: Alio autem modo conſiderari poteſt in ordine ad ſuam ſphæram, & ſic eſt actus corporis phyſici organici, quare non abſoluitur à corpore vt ſic, neque in eſſe, neque in operari: Quapropter vt eſt forma hominis ſemper indiget phantaſmate in operari, ſed non ſimpliciter vt ſupra; & ſecundùm iſtum modum ſolui poteſt vſitata dubi-

tatio, ſcilicet quomodo de anima intellectiua conſiderat naturalis, cum tamen 1. de part. cap. 1. dicat non ſpectare ad naturalem de intellectiua, cum ſit mouens non mota, & reliqua quæ ibi dicuntur; ſoluitur (inquam) quoniam qua anima eſt, naturalis eſt, imò ſecundùm hanc conſiderationem conſiderantur intelligentiæ á naturali, qua verò anima humana eſt intellectus, metaphyſici negotij eſt, ſicut & cæteri intellectus ſuperiores.

Sed reuera hæc reſponſio multipliciter videtur deficere; in primis quidem, quoniam ſi idem iudicium eſſet de anima humana quod & de cæteris intelligentiis, quando 2. metaph. Ariſtoteles tractationem facit de intelligentiis, & de humana anima pertractare debuiſſet, quod tamen minimè fecit: præterea ſi idem eſt iudicium de humano intellectu quod & de intelligentiis, cur igitur Ariſtoteles 2. phyſ. tex. 26. ponit terminùm conſiderationis naturalis animam humanam, quoniam ſi intelligat Ariſtoteles quantum ad quia eſt falſum eſt, etenim quia eſt Dei & intelligentiarum naturalis demonſtrat, & per ipſum Commentatorem lib. 1. de anima comm. 2. & 12. metaph. comm. 36. Diuinus hæc accipit à naturali: Si verò loquatur quantum ad quid eſt, ſatis patet ſecundùm reſponſio-

nem datam non pertinere ad naturalem, cum vt ſic ſit mouens non motum, imò vt dicit reſponſio hoc voluit Ariſtoteles 1. de part. cap. citato: Amplius, ridiculum videtur dicere animam intellectiuam quæ eſt vna potentia numero duos habere modos intelligendi, ſcilicet & dependentem & independentem à corpore ſic enim duo eſſe videtur habere; Etenim intelligentia etſi ſit intellectus, & anima, & in ſuo intelligere non indiget corpore, in mouendo autem indiget corpore, verùm localiter mouere & intelligere ſunt operationes valde diuerſæ, in anima autem ponuntur intellectiones quarum vna dependet à corpore, altera verò eſt ſimpliciter abſoluta, quod non videtur conſonum rationi, cum vnius operationis reſpectu vnius & eiuſdem non videatur eſſe niſi vnus modus operandi: Præterea ſuperfluum videtur & incredibile quòd vnum numero habeat infinitas ferè operationes reſpectu eiuſdem obiecti ſimul, hoc autem ſequitur ſecundùm opinionem, quia ille intellectus intellectione æterna intelligit Deum, & intellectione noua tot habet intellectiones reſpectu Dei quot homines Deum intelligunt. Hoc autem videtur eſſe purum figmentum vt ex multis apparere poteſt, verùm ſi intelligentia intelligat ſine corpore, non moueat au-

Digitized by Google

tem localiter ſine corpore, nullum ſequitur, cum intelligere & localiter mouere ſint operationes valde diuerſorum generum, vnáque ſit immanens & altera tranſiens, cum totum oppoſitum contingat de anima intellectiua, etenim ambæ & ſunt intellectiones, & ambæ operationes immanentes.

Secundò ad principale, quia ſi ſecundùm Ariſtotelem anima intellectiua & verè immaterialis vt fingit dictus Commentator, cum iſtud non ſit per ſe notum, imo maximè dubium, oportet per aliquam euidentiam manifeſtari; modò ad inſeparabilitatem concludendam ſufficit ſecundùm Ariſtotelem quòd ſit vel virtus organica, vel ſi non organica ſaltem quòd ſine obiecto corporali non poſſit exire in opus; dicit enim tex. 12. lib. 1. de anima, quòd ſiue intellectus ſit phantaſia, ſiue non ſit ſine phantaſia non contingit ipſum ſeparari, cum autem ſeparabilitas in ſeparabilitati opponatur, diſiunctiuáque affirmatiua contradicat copulatiuæ affirmatiuæ factæ de partibus oppoſitis, ſi igitur ad inſeparabilitatem ſufficit alternatiuè vel eſſe in organo tanquam in ſubiecto vel ab ipſo dependere tanquam ab obiecto, igitur ad ſeparabilitatem coniunctim requiritur, neque dependere ab organo tanquam à ſubiecto, neque tanquam ab obiecto, ſaltem in

aliqua ſui operatione, cum autem iſtud ſit de quo eſt quæſtio, quomodo certificabit Auerroes animam eſſe immortalem, præcipuè cum dicat Ariſtoteles quòd neceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari, & quilibet homo hoc experitur in ſeipſo.

Hinc fortaſſis dicitur quòd illa ratio 3. de anima ſimpliciter probat animam eſſe immaterialem, quia recipit omnes formas materiales: Ex quo poſtea euidenter concluditur quòd habet operationem omninò independentem, cum operatio ſequatur eſſe.

Sed hoc non videtur valere, quia illa ratio Ariſtotelis ſupponit quòd intellectus moueatur à corpore, cum dicat intelligere eſſe ſicut ſentire, & intellectum poſſibilem eſſe virtutem paſſiuam, inferiúſque declarat quòd ſuum motiuum eſt phantaſma, ſed quod indiget phantaſmate eſt inſeparabile à materia per dicta: igitur illa ratio magis probat ipſum eſſe materialem quàm immaterialem.

Sed adhuc fortè dicitur quod ex eo quod intellectus non indiget organo tanquam ſubiecto, ideo eſt ſimpliciter immaterialis, quam rationem facit immediatè Ariſtoteles poſt dictam. Verùm iſtud non videtur proficere, quia vel ſola illa conditio ſufficit, vel requiritur alia, ſcilicet quod non moueatur à corporeo,

Digitized by Google

ſi ambæ ſtat argumentum prius ; ſi illa ſola deſtruitur iudicium Ariſtotelis, cum ponat ambas eſſe requiſitas.

Sed fortaſſis adhuc dicitur quod reuera vna ſola requiſita eſt, non indigere enim corpore tanquam ſubiecto, abſolutè infert eſſe potentiam immaterialem & è conuerſo, quia tamen cum hoc quod immaterialis eſt & habeat aliquam operationem omnino independentem, etenim ſi immaterialis eſt aliquam habet independentem & è contra, quoniam tamen quod vltra independentem ab obiecto, habeat & dependentem, ne fortaſſe aliquis exiſtimaret ex eo quod habet aliquam dependentem, omnem habeat dependentem: Ideo illud appoſuit Ariſtoteles ſcilicet quod ſi intelligere non eſſet ſine phantaſia, ſic quod in omni operatione phantaſia indigeret, indubitanter intellectus eſſet inſeparabilis.

Sed iſtud non videtur poſſe ſtare: Primo quoniam Ariſtoteles ſuperfluè appoſuiſſet illam conditionem, cum altera ſit ſufficiens ad inferendam concluſionem, quod nefas eſt tanto aſcribere Philoſopho: Secundò quia ex eo quòd intellectus in omni ſuo opere indiget phantaſmate infertur quòd ipſe ſit inſeparabilis, hoc non poteſt eſſe niſi quia eſt organicus ſecundùm poſitionem, dico autem organicus ſubiectiuè, ſecundùm enim data

conuertuntur organicum ſubiectiuè & virtus materialis cognoſcitiua, quare & non organicū ſubiectiuè & immateriale; dicere ergo indigere ſemper corpore tanquam ſubiecto, etſi nihil nouum diceretur cum dixit ſi intelligere non eſt ſine phantaſia, nam eſſe phantaſiam & nunquam eſſe ſine phantaſia ſimpliciter conuertuntur, & vnum declarat alterum; eſſet ergo ſimile ac ſi quis diceret ſi Socrates non eſt homo, vel non eſt animal rationale, non eſt diſciplinabilis, qui ſermo quantùm ſit ridiculus & alienus à maieſtate Ariſtotelis iudicio aliorum relinquo: Amplius quando aliquid habet duas cauſas veritatis vna ablata & altera remanente non minùs illud remanet vt ex ſe notum eſt, cum ad veritatem diſiunctiuæ ſufficit vnam partem eſſe veram, ſed intellectum inſeparabilem eſſe à materia verificatur, quoniam eſt phantaſia, vel non eſt ſine phantaſia, vt patet 1. de anima, remoto igitur quòd ſit phantaſia, non minùs verificaretur ipſum eſſe materialem dummodo non eſſet ſine phantaſia, ſed ſecundùm poſitionem iſtud eſt falſum, quia impoſſibile eſt ſecundùm eam intellectum eſſe inſeparabilem & non eſſe phantaſiam, cum apud eam illa conuertantur: ergo poſitio ponens organicum ſubiectiuè & materiale conuerti, & pariter oppoſita eorum ſcilicet non

organicum ſubiectiuè & immateriale conuerti, falſa eſt: Adhuc quandocunque alicui rei duo modi ſub diſiunctione aſſignantur, res illa indifferenter poteſt ab altero illorum ſeparari, aut ſaltem ab vno illorum ipſa remanente, exempli gratia illiberalitas dupliciter contingit, aut per auaritiam, aut per prodigalitatem, ideo & reperitur illiberalis auarus ſine prodigalitate, & illiberalis prodigus ſine auaritia, ſi enim ſeparari non poſſent, non eſſent vtique duo modi illiberalitatis, ſed aut inuicem coinciderent, aut ambo copulatiuè & non diſiunctiuè neceſſariò concurrerent ad illiberalitatem, etenim ſi nullus illiberalis eſſet niſi ſimul prodigus & auarus eſſet, non rectè diceretur ad illiberalitatem requiri prodigalitatem vel auaritiam, ſed prodigalitatem & auaritiam coniunctas conſtituere illiberalitatem, ſi igitur ad inſeparabilitatem ſufficit ipſam eſſe phantaſiam, vel non ſine phantaſia: vel igitur ſtat ipſam eſſe inſeparabilem ſine altera earum conditionum indifferenter, vel ſaltem determinatè: ſi primum, ergo ſtabit quòd intellectus non ſit ſine phantaſmate, & tamen non ſit phantaſia, & per conſequens quòd ſemper indigeat corpore tanquam obiecto, & non tanquam ſubiecto, quod eſt contra conceſſa ab aduerſario, ſi verò detur ſecundum, videlicet quod

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

determinatè & non indifferenter, cum ſieri nequit vt aliquo indigeat corpore tanquam ſubiecto & non tanquam obiecto. Ergo ſtabit quòd indigebit tanquam obiecto, & non tanquam ſubiecto: Ergo idem quod prius: Amplius ſecundùm poſitionem, intellectus habet aliquam operationem omnimodè independentem à corpore, cum iſtud dubium ſit, debet per aliquod ſignum certificari: & non eſt aliud ſingere per quod certificari poſſit, niſi quòd ipſe immaterialis eſt: verùm cum & iſtud non ſit minùs dubium quàm primum, demonſtratione eget: Quæritur igitur de medio illo, an eſt quòd ſimul neque dependet à corpore tanquam ſubiecto & obiecto, vel quia ſolum non dependet à corpore tanquam ſubiecto: primum dici non poteſt, tum quia ſic eſſet petitio principij, cum intendentes probare intellectum in aliquo ſui opere non dependere à corpore: aſſumimus quod ipſe immaterialis eſt, & probantes ipſum eſſe immaterialem, accipimus quòd in aliquo opere non dependet à corpore: tum etiam quia nullum eſt tale medium in quo non ſumatur intellectum non dependere à corpore vt ab obiecto: prima enim demonſtratio 3. de anima probat intellectum eſſe immaterialem, quia recipit omnes formas materiales, modo cum tale recipere conſiſtit

pati vt ibidem dicit Ariſtoteles ; Ergo mouebitur à re corporali, & ſic indigebit tanquam obiecto: ſecunda demonſtratio eſt quòd ſpecies intelligibilis non recipitur in organo, ſed in ipſo intellectu: Ergo idem quod prius cum recipere ſit pati. Oportet igitur dicere alterum membrum videlicet medium eſſe quia non indiget corpore tanquam ſubiecto, licet tanquam obiecto: Quòd ſi ſic eſt, vnde igitur eſt quòd Ariſtoteles attentum faciens auditorem in procmio de anima dixit neceſſarium eſſe præintelligere de ſuis operationibus, ſubditque ſi intelligere eſt ſine phantaſia vel non ſine phantaſia non contingit ipſam ſeparari: Quare ad concludendam ſeparabilitatem inſeparabilitati oppoſitam, oportet coniunctim ſumere neque eſſe phantaſiam, & in aliquo ſui opere non dependere à phantaſia, & per conſequens non dependere à corpore tanquam ſubiecto, neque tanquam obiecto ſaltem in aliquo ſui opere, quod eſt oppoſitum conceſſi: hoc iterum ſic firmatur, per aduerſarium, indigere corpore tanquam ſubiecto & eſſe virtutem materialem conuertuntur, ſua etiam oppoſita conuertuntur videlicet non indigere corpore vt ſubiecto & eſſe virtutem immaterialem, nam 1. poſt. ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio negationis: Quid igitur Ariſtoteles

ad materialitatem concludendam appoſuit, præter phantaſiam, non eſſe ſine phantaſia, peccat enim per fallaciam non cauſæ vt cauſa, quandoquidem præciſa cauſa materialitatis eſt non indigere corpore vt ſubiecto: Quod & euidentiſſimè ſic iterum firmatur, quoniam ad immaterialitatem præter non indigentiam corporis vt ſubiecti, aut neceſſe eſt vltra hoc non indigere in aliquo ſui opere determinato corpore tanquam obiecto, aut illud non neceſſe eſt: ſecundum dari non poteſt per conceſſa quoniam non indigere corpore tanquam ſubiecto, & in aliquo determinato opere non indigere tanquam obiecto conuertuntur: quare poſito vno ponitur reliquum, reſtat igitur vt immaterialitas copulatiuè vtrumque exigat: Quare cum materialitas immaterialitati contrarietur, ad ipſam materialitatem ſufficit indigere corpore tanquam ſubiecto, vel corpore tanquam obiecto: vel igitur ſeparabilia ſunt iſta, & ſic non conuertentur, quod eſt contra conceſſa, vel inſeparabilia erunt, & ſic ſub diſiunctione non erunt aſſignanda, quod tamen facit Ariſtoteles: vltima autem ſequela patet, quia quod diſiunctiuè enunciatur alternatiuè verificatur & non copulatiuè, nam 10. metaph. tex. 17. Et Commentator 3. de cœlo comm. 56. & Boëtius lib. de ſyllogiſmo hypothetico, dicunt interrogationem

gationem & diſiunctiuam vanam & ridiculam eſſe in quam omnes partes verificantur: & vltra tunc copulatiuæ affirmatiuæ contradiceret copulatiua facta de partibus oppoſitis, & non diſiunctiua quod apertiſſimè falſum eſt: quapropter, ni fallor Commentator, D. Thomas, & quicunque ſentit Ariſtotelem cenſere humanum intellectum verè eſſe immortalem, longè à vero diſtat: Præterea mirum eſt quod Ariſtoteles poſuerit intellectum aliquando intelligere ſine phantaſmate, & tamen in omnibus locis dicat quòd non eſt intelligere ſine phantaſmate, non enim debuiſſet tam abſolutè proferre.

Tertio ad principale, quoniam ſecundùm Commentatorem oportet ponere felicitatem humanam in copulatione intellectus agentis cum poſſibili, ſicut ipſe lib.3. de anima comm.36. manifeſte oſtendit: Sed quàm vanum ſit hoc & Ariſtoteli diſſonum non difficile eſt videre: vanum quidem quia inquantum tradunt hiſtoriæ nullus vſque ad hæc tempora inuentus: Et ſic finis hominis irritus eſt, cum à nullo attingatur, imo à nullo attingi poteſt, cum media ordinata ad illum finem haberi non poſſint: impoſſibile eſt enim aliquem hominem ſcire omnia, vt dicit Plato lib.10. de Republica, neque etiam ſpeculabilia, imo nulla ſcientia perfectè ha-

Digitized by Google

bita eſt vſque ad præſentem diem, vt experimento patet; Quod etiam ſit contra Ariſtotelem manifeſtum eſt, quoniam lib. Ethic. vbi determinat de vltimo fine hominis in eo quod homo ponit ipſum in habitu ſapientiali: neque quis dicere poteſt librum illum non fuiſſe perfectum, cum manifeſte in fine libri illius, & epilogat, & ſe ad librum politicorum continuat: Quare vehementer non poſſum non mirari, cum aſcribat Ariſtoteli hanc vnitatem intellectus, quandoquidem in nullo loco hoc ab eo ponatur: verùm 2. phyſ. tex. 26. vbi de anima humana mentionem facit dicit eas eſſe multiplicatas, dicit enim ſic vſquequo, cuius enim cauſa vnumquodque, & circa hæc quæ ſunt ſeparatæ ſpecies in materia, homo enim hominem generat ex materia, & ſol, vnde manifeſtum eſt quòd non vnam ſolùm ſed multas poſuit. Aliud etiam eſt de illa copulatione, cum neque alius repertus eſt talis, neque Ariſtoteles aliquid dixerit: Quare mihi videtur eum hoc quod eſt figmentum in ſe, ſit etiam contra Ariſtotelem.

In quo ponitur alter modus aſſerens intellectum realiter diſtingui à ſenſitiuo, verùm numeratum ad numerationem ſenſitiui.

CAPVT V.

ABiecta igitur priori opinione tanquam intelligibili, eſt alter modus de enumeratis, conueniens cum primo, quantum ad illud quod intellectiuum realiter diſtinguitur à ſenſitiuo, quandoquidem contradictoria verè de eodem dici non poſſunt, verùm in altero ab illo diſtat. Nam ſecundùm numerum ſenſitiuorum ponit numerum intellectiuorum, Socrates enim diſtinguitur à Platone vt hic homo ab illo homine, non eſt autem hic homo niſi per intellectum, vt etiam ipſe Auerroes fatetur 3. de anima comm. 1. Quare alter eſt intellectus Socratis ab intellectu Platonis: Etenim ſi vnus amborum eſſet intellectus, amborum eſſet idem eſſe & operari, ſed quid ſtultius excogitari poteſt? verùm & hi ſic conformes inter ſeipſos diuerſificati ſunt: Quidam enim ipſorum poſuerunt animam magis ſe habere ad hominem vt

motor ad motum, quàm vt forma ad materiam: Et hæc videtur fuiſſe mens Platonis in primo Alcibiadis dicentis hominem eſſe animam vtentem corpore, cui videntur conſonare verba Ariſtotelis 9. Ethic. dicentis hominem eſſe intellectum: Alij autem oppoſitum aſſeruere, dicentes animam ſe habere ad hominem vt forma ad materiam, & non ſolùm vt motor ad motum, veriúſque dicendum hominem eſſe compoſitum ex anima & corpore, quàm ipſum eſſe animam vtentem corpore: Cætera autem quæ ab eis adducuntur noſtro propoſito non ſunt neceſſaria.

In quo prædicta opinio impugnatur.

CAPVT VI.

HIc autem modus ſecundùm vtrumque membrorum à Diuo Thoma in prima parte ſummæ, & in multis aliis locis impugnatur, & mea ſententia abundè & manifeſtè: Si enim homo non componeretur ex anima intellectiua & corpore, velut ex materia & forma, ſed ex motore & moto, tunc anima & corpus non maiorem haberent vnitatem quàm boues

& plauſtrum, multaque alia incommoda ſequuntur quæ ab eo adducuntur: Ponere autem pluralitatem formarum ſubſtantialium in eodem compoſito, vt aſſerit ſecundum membrum, hoc ab Ariſtotele, & à multis Peripateticis videtur alienum: verùm duo adducam per quæ omnes ſuperiores modi mihi videntur & à veritate, & ab Ariſtotele remoti.

Primò quidem hoc videtur experimento contradicere: ego enim qui hæc ſcribo multis cruciatibus corporis anguſtior, quod opus eſt ſenſitiuæ: idémque ego qui crucior diſcurro per cauſas medicinales vt refellam hos cruciatus, quod niſi per intellectum fieri non poteſt: ſi igitur altera eſſet eſſentia qua ſentio, & qua intelligo, quo igitur modo fieri poſſet vt idem qui ſentio ſim ille qui intelligo: ſic etenim dicere poſſemus quòd duo homines ſimul coniuncti ſic mutuas habent cognitiones, quod ridiculum eſt: Quòd autem huiuſmodi opinio ſit ab Ariſtotele remota non difficile eſt videre: etenim 2. de anima ponit vegetatiuum in ſenſitiuo veluti trigonum in tetragono, ſed manifeſtum eſt trigonum in tetragono non eſſe tanquam rem realiter ab eo diſtinctam, ſcilicet quod eſt trigonum in potentia eſt actu tetragonum: Quare cum per Ariſtotelem eodem modo in mortalibus ſe habeat ſenſitiuum ad intelle-

Digitized by Google

ſtiuum, ſenſitiuum non erit res diſtincta ab intellectiuo: Quapropter mihi videtur quòd & primus modus Auerrois, & iſti duo à vero & ab Ariſtotele diſſonent.

CAPVT VII.

In quo ponitur modus affirmans mortale & immortale eſſe idem re in homine: verùm etiam illam ſimpliciter eſſe immortalem, ſecundùm quid verò mortalem.

CVm itaque vniuerſaliter reiectus ſit modus, qui intellectiuum & ſenſitiuum in homine diſtingui realiter exiſtimat, reliquum eſt vt intellectiuum & ſenſitiuum in homine ſint idem: Et licet tribus modis vt retró dictum eſt hoc intelligi poſſit, duo tamen tantùm ſunt rationabiles.

Vnus igitur erat quod immortale eſſet ſimpliciter in homine, mortale verò ſecundum quid; & quamuis ſecundùm naturam diuiſionis, modus iſte in duos poſſet diuidi, ſcilicet aut vnum numero in omnibus hominibus, aut multiplicatum ad numerum hominum, quia tamen nul-

lus poſuit primum modum, ideo relinquemus; ſed tantùm de ſecundo ſermonem habebimus; quem etſi multi præclariſſimi viri ſequuti ſunt; quia tamen mihi videtur quod D. Thomas copioſiùs & magis lucidè ipſum poſuit, ideo eius dicta solùm referam, vtque ordinatè intelligatur, eius opinionem in quinque dictis colligam.

Primum itaque eſt quòd intellectiuum & ſenſitiuum in homine ſint idem re.

Secundum quod tale verè & ſimpliciter eſt immortale, ſecundùm quid verò mortale.

Tertium quòd talis anima verè eſt forma hominis, & non ſolùm vt motor.

Quartum quòd eadem anima eſt numerata ad numerationem Indiuiduorum.

Quintum quòd huiuſmodi anima incipit eſſe cum corpore, verùm quòd venit deforis, atque à ſolo Deo producitur, non quidem per generationem, ſed per creationem: hæc tamen non deſinit eſſe cum corpore, verùm à parte poſt eſt perpetua.

Primum horum ſatis ex ſuperioribus manifeſtum eſt: tum quia plures formæ ſubſtantiales non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto: tum quia eadem videtur eſſentia quæ intelligit, & ſentit; tum quia ſenſitiuum in mortalibus eſt in intellectiuo, ſicut trigonum in tetragono.

Secundum verò in quo vis omnis conſiſtit, videlicet quod tale verè eſt immortale, ſecundùm quid tamen mortale, multipliciter declaratur: Primò per rationem Ariſtotelis 3. de anima, quoniam talis anima eſt receptiua omnium formarum materialium: quod autem eſt eiuſmodi non poteſt eſſe materiale, ſicut ibidem Ariſtoteles declarat, cum recipiens debeat eſſe denudatum à natura rei receptæ: & eſt etiam propoſitio conceſſa à Platone in Timæo, atque vt dicit Auerroes 2. de anima vniuerſaliter verificatur in actione reali & ſpirituali: oculus enim receptiuus ſpecierum coloris debet eſſe abſcolor: & ſic vniuerſaliter de aliis ſenſibus: Secundo quoniam ſi intellectus eſſet materialis forma recepta in eo eſſet intellecta in potentia, & ſic aut non cognoſceret aut tantùm particulariter cognoſceret: Tertiò quia ſic eſſet virtus organica, quare eſſet determinata ad certum genus entium, vel ſaltem ad modum ſingularem: quare vel non omnia cognoſceret, vel non cognoſceret modo vniuerſali. A ſigno etiam hoc euidenter probatur: nam modus appetendi naturaliter ſequitur modum cognoſcendi: intellectus autem vniuerſale apprehendit quod eſt æternum, quare & voluntas æternum deſiderabit: tale autem deſiderium naturale eſt, cum omnes voluntates hoc appetant:

naturalis autem appetitus fruſtrari non poteſt, cum 1. de cœlo, Deus & natura nihil agunt fruſtra: quare conuincitur intellectum eſſe ſimpliciter immortalem. Verba etiam Ariſtotelis ſunt adeò lucida pro hac parte vt interprete non indigeant, cum 1. 2. & 3. de anima ponat intellectum eſſe ſeparatum, & nullius corporis actum: in parte quoque qua agitur de intellectu agente dicit quod intellectus agens verè eſt immaterialis, quia poſſibilis eſt huiuſmodi, & agens præſtantius eſt patiente: idem quoque 1. de part. cap. 1. & 2. de gener. anim. cap. 3. affirmat: Quod vero huiuſmodi anima ſecundùm quid mortalis ſit ex duobus manifeſtari poteſt: primò quia hæc intellectiua, & ſenſitiua, & vegetatiua eſt, vt ex primo dicto liquet, verùm ſenſitiuum & vegetatiuum ſi ab intellectiuo ſeparata ſint, corruptibilia ſunt; quare non ſecundùm ſe intellectiuum mortale eſt, ſed quia gradum continet, qui ſolitariè ſumptus, mortalis eſt: Secundò quia anima humana opera ſenſitiuæ & vegetatiuæ non exercet niſi caduco inſtrumento, non igitur in ſe mortalis eſt, ſed ratione talis operis & inſtrumenti.

Tertium dictum ſcilicet quod ſit forma hominis, patet ex vniuerſali definitione animæ, cum ſit actus corporis phyſici, &c. ſitque principium quo intelligimus, vt

apertè ibi demonſtrat Ariſtoteles.

Quartum verò ſequitur ex tertio: nam ſi anima intellectiua eſt forma, qua homo eſt homo, ſi vnica in omnibus hominibus eſſet, omnium hominum idem eſſet eſſe & operari, veluti contra Commentarorem monſtratum eſt: Ariſtoteles etiam 2. phyſ. tex. 26. expreſſe ponit eas in numero plurali, quemadmodum retrò dictum eſt.

Quintum autem videlicet quod ipſa ſit facta, patet, tum ex 2. phyſ. tex. 26. cum ſol & homo generent hominem, tum quia per tertium dictum eſt, forma qua homo eſt homo; ſed 12. metaph. tex. 17. forma ſimul incipit eſſe cum eo cuius eſt forma; tum ex 2. de gener. anim. cap. 3. vbi dicit ſolum intellectum venire de foris: Quod verò non per generationem fiat ex eo patet. quod per generationem producitur, materiale & caducum eſt; At iam demonſtratum eſt in ſecundo dicto, ipſam eſſe immaterialem & incorruptibilem: Quod etiam à Deo ſolo fiat, patet, quoniam cum non ſit per generationem, ergo per creationem; verùm ſolum Deum creare alibi demonſtratum eſt: Hoc etiam per illud 2. de gener. anim. patere poteſt, dicitur enim ibi, ſolus igitur intellectus diuinus & immortalis exiſtit: Quod autem poſt mortem remaneat, cum ſit immortalis, manifeſtum eſt; ex

dicto quoque Ariſtotelis 12. metaph. tex, 17. liquet, cum dicat nihil prohibere intellectum poſt mortem remanere; ſicque tota poſitio clara habetur.

CAPVT VIII.

In quo mouentur dubitationes circa prædictum modum.

DE veritate quidem huius poſitionis apud me nulla prorſus eſt ambiguitas, cum Scriptura canonica: quæ quilibet rationi & experimento humano præferenda eſt, cum à Deo data ſit, hanc poſitionem ſanciat: Sed quod apud me vertitur in dubium eſt, an iſta dicta excedant limites naturales; ſic quod aliquid vel creditum vel reuelatum præſupponant, & conformia ſint dictis Ariſtotelis, ſicut ipſe Diuus Thomas enunciat: Verùm cum tanti Doctoris authoritas apud me ſumma eſt, nedum in diuinis, verùm in ipſa Ariſtotelis via, non auſim contra eum aliquid affirmare: ſed tantùm quod dicam per modum dubitantis & non aſſerentis ponam, fortaſſiſque ab eius doctiſſimis ſectatoribus veritas aperietur: In primo igitur eius dicto non ambigo,

ſcilicet quòd re in homine idem ſit ſenſitiuum & intellectiuum: ſed cætera quatuor ſunt mihi valde ambigua.

Primò quidem quòd talis eſſentia ſecundùm ſe & verè immortalis ſit, ſed impropriè & ſecundum quid mortalis: primò quidem quoniam conſimilibus rationibus quibus hanc probat oppoſita probari poteſt: Ex eo namque quod talis eſſentia formas omnes materialas recipit, quia recepta in ea ſunt actu intellecta, quod non vtitur organo corporeo, quod æternitatem & ſuperna affectat, ideo concludebatur quod ipſa ſit immortalis: ſed pariter cum ipſa materialiter operetur vt vegetatiua, non omnes formas recipit vt ſenſitiua, & eadem organo corporeo vtitur, temporalia & caduca affectat, probabitur quod ipſa verè & ſimpliciter ſit mortalis, verùm ex ea parte qua intelligit ſecundùm quid erit immortalis, tum quia intellectus non coniunctus materiæ eſt incorruptibilis, ſed materiæ coniunctus eſt corruptibilis, tum quia in tali opere non fungitur inſtrumento corporali, ſicut etiam ipſe dicit quod taliter eſt per accidens & ſecundùm quid materialis, non enim maior ratio de vno quàm de altero videtur.

Secundò quia cum in iſta eſſentia ſint quædam quæ dant ipſam eſſe mortalem, & quædam immortalem, cum multa

plura promoueant ad mortalitatem quàm ad immortalitatem, & 1. & 6. phyſ. à ſuperabundanti ſit denominatio, magis pronuncianda eſt mortalis quàm immortalis, & nedum pronuncianda, verùm & hoc erit ex parte rei: Aſſumptum autem declaratur: Nam ſi in homine numerum potentiarum conſideremus, duas tantùm inuenimus quæ atteſtantur ſuper immortalitatem ſcilicet intellectum & voluntatem, innumeras vero tum ſenſitiuæ tum vegetatiuæ quæ omnes atteſtantur ſuper mortalitatem: Amplius ſi climata habitabilia conſpexerimus, multo plures homines aſſimilantur feris quàm hominibus: interque climata habitabilia perrariſſimos inuenies qui rationales ſunt, inter quoque rationales ſi conſiderabimus hi ſimpliciter rationales nuncupari poſſunt: verùm appellati ſunt rationales in comparatione ad alios maxime beſtiales, ſicut fertur de mulieribus quod nulla eſt ſapiens niſi in comparatione ad alias maxime fatuas: Ampliùs ſi ipſam intellectionem inſpexeris maxime eam quæ de Diis eſt, quid de Diis? imo de ipſis naturalibus, & quæ ſubiacent ſenſui, adeo obſcura, adeóque debilis eſt, vt veriùs vtraque ignorantia ſcilicet negationis & diſpoſitionis nuncupanda ſit quàm cognitio: Adde quantum modicum temporis apponant circa intellectum, & quampluri-

mùm circa alias potentias, quò fit vt vere huiuſmodi eſſentia corporalis & corruptibilis ſit, vixque ſit vmbra intellectus; hæc etiam videtur eſſe cauſa cur ex tot mille hominibus vix vnus ſtudioſus reperiatur, & deditus intellectuali; cauſa quidem naturalis; nam ſemper ſic fuit, licet ſecundum magis & minùs: Cauſa (inquam) eſt quia naturâ homo plus ſenſualis quàm immortalis exiſtit; quod etiam apparet, cum multi in definitione hominis poſuerunt mortale pro differentia; ſi (inquam) hæc conſiderabis magis oppoſita pars videbitur vero conſona quàm illa D. Thomæ.

Tertiò contra eandem arguitur, quia animam eſſe immortalem non eſt per ſe notum, quæritur igitur ſicut dicebatur contra Auerroem per quam euidentiam hoc cognoſcitur; vel igitur ex eo quod in ſuo opere non indiget organo tanquam ſubiecto præciſe, vel cum alio addito; primum dici non poteſt per ipſum Ariſtotelem 1. de anima tex. 12. nam ad inferendam inſeparabilitatem ſufficit alternatiuè, vel quod ſua operatio ſit in ſubiecto, vel quòd in omni ſua operatione indigeat corpore tanquam obiecto, cum dicat, ſi igitur intelligere aut eſt phantaſia, aut non eſt ſine phantaſia, non contingit ipſum ſeparari: ergo ad ſeparabilitatem ambæ conditiones requiruntur,

quia copulatiua affirmatiua opponitur disiunctiuæ factæ ex partibus oppoſitis: Ad ſciendum ergo animam eſſe ſeparabilem oportet quod neque indigeat corpore tanquam ſubiecto, neque tanquam obiecto, ſaltem in aliqua ſui operatione: ſed quomodo hoc ſciri poteſt, cum & Ariſtoteles dicat, neceſſe eſt intelligentem phantaſma aliquod ſpeculari: & experimur quoniam ſemper indigemus phantaſmatibus, vt vnuſquiſque experitur in ſeipſo, & læſio organorum demonſtrat, & omnia quæ adducta ſunt contra Commentatorem de immortalitate animæ, ſunt & contra hanc opinionem, cum in hoc conueniant, licet in cæteris differant.

Quartò ſic arguitur, ſi anima humana in omni ſuo opere dependet ab organo, ipſa eſt inſeparabilis & materialis; ſed in omni ſuo opere dependet ab organo, ergo ipſa materialis eſt; maior patet 1. de anima dicente Ariſtotele, ſi intelligere eſt phantaſia, aut non ſine phantaſia non contingit ipſam ſeparari; minor autem patet ex definitione vniuerſali animæ, ſcilicet eſt actus corporis phyſici organici.

Sed hinc fortè dicitur quod anima humana quantùm ad intellectum non eſt actus corporis organici, cum intellectus nullius corporis ſit actus, ſed ſolùm

quantùm ad opera ſenſitiuæ & vegetatiuæ.

Verùm id videtur non poſſe ſtare; in primis, quia ſic anima intellectiua non eſſet anima, cum vt ſic non eſſet actus corporis phyſici organici, quod eſt contra Ariſtotelem ponentem illam eſſe definitionem communem omni animæ, imò per ipſum Thomam dictam vniuocè de omnibus animabus: Secundò quia ſi anima intellectiua indigeret organo pro ipſo ſentire, quandiu igitur anima eſſet, ipſa ſentiret, quod manifeſtè falſum apparet; patet autem conſequentia, quia ſtante definito ſtant & ea quæ ſunt in definitione: Tertiò quoniam per ipſum Thomam in prima parte, & in ſecundo contra Gentiles, ideo intelligentiæ non ſunt formæ corporum cæleſtium, quoniam ſi ſic eſſent maximè indigerent corpore pro intellectione, ſicuti anima humana; ergo ſi anima eſt actus corporis organici quantum ad ſenſationem, hoc eſt pro ſua intellectione; ergo in omni ſuo intelligere indiget phantaſia, ſed ſi ſic eſt, ipſa eſt meterialis; ergo anima intellectiua eſt materialis.

Sed hinc fortè dicitur quod non oportet animam intellectiuam actu ſemper dependere ab organo, quamuis organum ponatur in eius definitione, ſed ſufficit quod aptitudine, ſicut moueri ſurſum eſt

definitio leuis, quantumcunque leue non ſemper moueatur ſurſum, ſed ſufficit quod moueatur, vel poſſit moueri.

Sed hæc reſponſio multipliciter videtur deficere: Primò quia ſi ſola aptitudo ſufficeret in definitionibus, tunc dici poſſet quod aliquid eſſet homo, & tamen actu non eſſet animal rationale, ſufficeret. n. ſecundùm reſponſionem quod eſſet aptitudine: Secundò, quoniam diceretur quod ſi anima aptitudinaliter dependet à phantaſia, non minùs ipſa erit inſeparabilis & materialis, quamuis ſemper actu non dependeat.

Ad hæc fortè dicitur quod illa non eſt definitio vera; ſed quædam deſcriptio ſeu notificatio: Ad ſecundum dicitur quod ad inſeparabilitatem non ſufficit dependere à corpore ſecundùm aptitudinem, quoniam ſeparata exiſtens & immaterialis poteſt de facto à corpore dependere; ſi verò actu ſemper dependeret, ſic quod nunquam ſine corpore poſſet exiſtere, vtique eſſet materialis.

Sed nullum iſtorum dictorum videtur conueniens: Primum quidem quoniam omnes dicunt illas duas definitiones datas de anima eſſe datas, vnam per cauſam formalem, & alteram per materialem, & per vnam demonſtrari alteram. Secundum etiam dictum in pluribus videtur deficere, Primò quidem quoniam ſi ani-

ma humana duos habet modos intelligendi, vnum per phantaſma, alterum verò ſine phantaſmate, videtur multùm irrationabile quód ſubſtantia immaterialis moueatur á re materiali; nam quantumcumque immateriale in materiale agat, non videtur tamen actionem conuerti: Quare & etiam apud Theologos dubitatio orta eſt quomodo animæ cruciari poſſint ab igne corporeo. Secundò quia ſi anima ſeparata habet habitudinem ad ipſum corpus, vel ergo reunietur, vel non; ſi primum tunc oportet redire ad opinionem Democriti ponentis reſurrectionem, vel ad Pythagoram ponentem tranſmigrationem animarum in diuerſa animalia, quod in erratis eſt impugnatum pro qualibet parte; ſi verò detur ſecundum, tunc eſt contra ordinem naturæ, nam 8. phyſ. tex. 15. Ariſtoteles impugnat Anaxagoram ponentem mundum non fuiſſe per infinitum tempus, & poſtea incepiſſe: Natura enim vel vno modo procedit, vel pluribus, quod ſi pluribus, ordinatè tamen procedit, ſed finiti ad infinitum nullus eſt ordo neque proportio, quare ſi finito tempore anima eſt coniuncta corpori, infinito autem ſeperata, non ſtabit ordo naturæ. Tertiò, quia tam diuerſi modi eſſendi, ſcilicet coniuncta & ſeparata, tamque diuerſi modi operandi, ſcilicet per phantaſma & ſine phan-

taſmate, videntur arguere diuerſitatem eſſentiæ: Nam hoc modo ſublato nulla reſtat via probandi diuerſitatem ſpecificam inter aliqua: etenim 6. de hiſt. anim. ca. 24. dicit Ariſtoteles mulas quæ in Syria pariunt quanquam valde ſimiles ſint noſtris vt vix diſcerni poſſint, non tamen eſſe eiuſdem generis propter tam diuerſum modum generationis, videturque per totum librum de animalibus aſſerere quod genita ex putredine & ex ſemine non ſint eiuſdem rationis, ſicuti etiam affirmat Auerroes, idemque Auerroes in fine de ſomno & vigilia dicit, quod ſi qui eſſent homines qui non eodem modo cognoſcerent ſicut nos, non eſſent eiuſdem generis nobiſcum: Alterum etiam dictum videlicet quod ſi anima ſemper eſſet coniuncta phantaſmati, eſſet materialis non videtur bene dictum; quoniam ſicuti per certum tempus eſſe coniunctum non tollit immaterialitatem, ita neque eſſe ſemper coniunctum, ſicut dicit Philoſophus 1. Ethic. contra *Platonem*, diuturnitatem temporis non auferre ſpeciem; quod confirmatur, quoniam intelligentia in mouendo orbem dependet ſemper à corpore, & tamen ipſa ſic dependens immaterialis eſt; quare & intellectus ſuppoſito quod ſemper eſſet coniunctus corpori non tamen ſequitur ipſum eſſe materialem: Quód ſi forté

veritatem continere dicitur de intelligentia; quoniam corpus ſuum æternum eſt, at humanus intellectus corpus habet caducum, quare vel corrupto corpore ipſe non eſſet, quod poſitioni repugnat, vel ſi eſſet, ſine opere eſſet, cum ſine phantaſmate per poſitionem intelligere non poſſet, & ſic otiaretur: Sed iſtud dictum non videtur rationabiliter dictum, primò quoniam non videtur illud ſequi, licet enim intellectus ſeparatus non moueretur à phantaſia iam corrupta, quid prohiberet ipſum moueri à phantaſiis exiſtentibus, quandoquidem ſunt omnes eiuſdem rationis, & ipſe non videtur prohiberi ex loci diſtantia, cum non ſit in loco, & eo præſertim cum multi Theologi & grauiſſimi affirment, & Angelos, & animas ſeparatas moueri ab iſtis inferioribus; deinde illud ad quod deducitur non videtur inconueniens, ſcilicet in ſeparatione otiari, quoniam cum duo oppoſita inſunt naturaliter alicui, non oportet quod in omni tempore vtrumque inſit, imò illud impoſſibile eſt, ſicuti ſomnus & vigilia naturaliter inſunt animali, & vigilia, exempli gratia, conuenit in die, ſomnus vero in nocte, quare anima coniuncta intelliget, ſeparata vero otiabitur: Quod ſi dicitur inconuenire pauciſſimo tempore operari, & infinito otiari; verùm hæc reſponſio ſemetipſam interimit, nam

ſi infinito tempore ſeparata intelligit, & tunc ſine phantaſmate, pauciſſimo autem tempore cum phantaſmate, vtique naturalius erit ſibi intelligere ſine phantaſmate quàm cum phantaſmate; quare non conuenienter in definitione animæ ponitur actus corporis phyſici organici, &c.

Quinto, quia talis eſſentia verè eſt ſenſitiua & vegetatiua; vel igitur poſt ſeparationem habet potentias quibus exercere poſſit ſua opera, vel non; ſi ſecundum videtur contra naturam quod æterno tempore ſit manca & totaliter priuata, niſi recurratur ad reſurrectionem Democriti, vel ad fabulas Pytagoreas; ſi autem habet, cum careat organis quibus fungitur proprio opere, ſequitur iterum quod illæ potentiæ ſint vanæ, quod minimè concederet Ariſtoteles.

Sexto quod verius talis anima dicatur ſecundùm quid immaterialis & immortalis modo ſuperiùs expoſito, patet per ipſum Philoſophum 3. de anima ca. de intellectu agente, ibi enim cum dixiſſet vtrumque intellectum eſſe ſeparatum & immortalem, dixit poſtea, ſed hic ſcilicet intellectus agens verè eſt qui immortalis eſt & ſemper intelligens, ille verò ſcilicet poſſibilis non, cum quandoque intelligat & quandoque non intelligat, corrumpitur enim quodam interius corrupto, quod eſt quia ipſe eſt coniunctus

materiæ, quare ad corruptionem ſenſitiuæ corrumpitur, erit igitur re corruptibilis, ſed ſecundum quid incorruptibilis, quoniam intellectus qui non eſt coniunctus materiæ eſt incorruptibilis: Hæc itaque mihi ambiguitatem inferunt quoad ſecundum dictum.

Tertium dictum eſt quod talis anima eſt verè forma hominis, & non tantum vt motor: Huic quidem dicto ego conſentio ſi ponitur materialis; verumtamen ſi ponitur immaterialis, vt ipſe dicit, non videtur eſſe notum, oportet. n. talem eſſentiam eſſe hoc aliquid & per ſe ſtans; quomodo igitur fieri poterit vt ſit actus & perfectio materiæ, cum tale, ſcilicet actus materiæ ſit non quod eſt, ſed quo aliquid eſt, vt patet 7. metaph. Quod ſi dicitur hoc eſſe peculiare animæ intellectiuæ: hoc eſt valde ſuſpectum, & voluntariè dictum; ſic etiam Auerroiſtæ poſſent dicere quòd anima intellectiua eſt forma dans eſſe, & non tantùm operari, cuius oppoſitum ipſe credit ſecundùm eos: Eſſet quoque difficultas de eſſe compoſiti quod ponitur diſtinctum ab eſſe animæ, quodnam eſt illud eſſe, & quodnam corrumpitur; de quo etſi ipſi multa dicant, fateor me eorum verba tenere, ſed non ſenſum: Quare ſapienter mihi viſus eſt Plato dicere ponens animam immortalem, quod verius homo eſt

anima vtens corpore, quàm compoſitum ex anima & corpore, & veriùs eius motor ſcilicet corporis, quàm eius forma, cum anima ſit illud quod veré eſt & verè exiſtit, & poteſt induere corpus & eo ſpoliari: Non video enim quin & D. Thomas non habeat hoc dicere.

Quartum vero dictum erat de multiplicatione animarum quod etiam non minùs apud me dubium eſt; cum 12. metaph. tex. 49. dicit Ariſtoteles talem multiplicationem eſſe per multam materiam: Quod autem dicitur à quibuſdam diſtingui per habitudines ad diuerſas materias, vel quod loquitur Ariſtoteles per principia indiuiduantia, quæ materia poſſunt appellari: Mihi & iſta videntur intricamenta, & nouæ inuentiones pro ſuſtentanda poſitione, & nullo pacto ad mentem Ariſtotelis, ſic enim intelligentias in eadem ſpecie poſſemus multiplicare, imo ipſum Deum, quod quantùm conſonet Peripateticis, aliis relinquo conſiderandum: & licet aliqui concedant de intelligentiis: & negent de Deo adducentes nouas rationes, quod Deus multiplicari non poteſt: Certum eſt quod illas rationes non fecit, nec vidit Ariſtoteles, & Deus ſcit quantùm valeant in via Ariſtotelis; ſed tantùm ſuperiori rationi ſimpliciter innititur: Ampliùs, quia ſecundùm principia Ariſto-

dicere; primò quidem, nam omne incorruptibile eſt ingenitum 1. de cœlo tex. 125 vbi probat eorum conuertibilitatem, ſed per conceſſa, anima intellectiua eſt incorruptibilis, ergo ingenita, ergo nunquam incepit, quod eſt oppoſitum conceſſi: Sed huic dicitur negando vltimam conſequentiam, ergo nunquam incepit; ſed tantùm ſequitur ergo nunquam incepit per veram generationem: ſed hoc manifeſte contradicit textui, ſicut etiam notaui cum exponerem illum locum: Nam Ariſtoteles dicit ingenitum voco quod eſt, & nunquam fuit verum dicere quod fuit: ſi igitur anima intellectiua eſt ingenita vt ibi loquitur Philoſophus, ergo nunquam fuit verum dicere quod non fuit: nam vt expreſſe patet vult illud eſſe genitum non ſolum quod habet veras cauſas generationis, ſed quodcunque incipit eſſe quomodocunque incipiat, quod vult conuerti cum corruptibili proportionabiliter ſumpto, & ſic ſumit ingenitum & incorruptibile: Præterea mirabile eſt quod tot tantaſque rationes adducat Ariſtoteles ad probandũ conuertibilitatem illorum, & nunquam exceperit animam intellectiuam, valde enim magnam cauſam dediſſet errandi: Præterea quod vlteriùs dicit eas remanere poſt mortem, & nullam Ariſtoteles faciat mentionem de eis valde improbabile videtur, cum Ariſtoteles tam diligens naturæ perſcruta-

tor, in Poëſi, in Rhetoricis, & in multis aliis fuerit tam diligens, & in re tam excellenti negligens: Amplius quia 1. Ethic. videtur ponere nullam felicitatem poſt mortem; imo quod magis eſt D. Thomas in 1. lectione 3. Ethic. ſuper illa parte quod quis magis debet eligere mortem quàm magnum ſcelus committere, quaſi dubius quomodo Ariſtoteles hoc ponit, dicit quòd hoc dixit Ariſtoteles, quia poſt mortem remanet gloria, vel quia perſiſtere in illo actu virtuoſo per modicum tempus exiſtimat melius quàm viuere diu in actu vitioſo: modo ſi D. Thomas credit Ariſtotelem tenere immortalitatem, nulla harum cauſarum eſſet conueniens, in promptu enim eſſet propter alium ſtatum: vnde D. Thomas quaſi admittatur quòd cum Ariſtoteles ponat poſt mortem nihil eſſe, quomodo vult quòd aliquis malit mori, quàm male viuere: nam & ipſe in expoſitione Symboli Apoſtolorum ſuper carnis reſurrectionem dicit, quod ſi non expectaremus reſurgere, homo magis deberet perpetrare quodcunque ſcelus quam mori: Amplius vt ſupradictum eſt, mirabile eſſet quod Ariſtoles nullam feciſſet mentionem de tali ſtatu poſt mortẽ, neque promiſiſſet declarare, quod tamen eſt contra ſuum morem: Præterea oportet vel ponere reſurrectionem, vel fingere fabulas Pythagoreas; vel otiari tam nobiliſſima entia, quæ omnia

videntur remotiſſima à Philoſopho : hæc autem dicta ſint, non vt tanto Philoſopho contradicamus, quid enim pulex contra elephantem : ſed ſtudio addiſcendi.

In quo ponitur quintus modus, ſcilicet quod eadem eſſentia animæ eſt mortalis & immortalis, verùm ſimpliciter mortalis, & ſecundum quid immortalis.

CAPVT IX.

CVm itaque primus modus ponens intellectiuum realiter diſtingui à ſenſitiuo in mortalibus ſecundum omnes impugnatus ſit modo. Et ſecundus ponens quod intellectiuum & ſenſitiuum ſunt idem re, & tale eſt ſimpliciter immortale ;& ſecūdùm quid mortale, ſit valde ambiguus, nec conuenire videtur Ariſtotelis reliquum eſt vt ponamus vltimum modum, qui ponens ſenſitiuum in homine idētificari intellectiuo, dicit quòd eſſentialiter & verè hoc eſt mortale, ſed ſecundùm quid immortale ; & vt ordine procedamus, dicemus iuxta illa quinque dicta in ſuperiori capitulo.

Primum quidem nos ſimpliciter concedimus, ſcilicet quod intellectiuum & ſenſitiuum in homine identificantur in re.

In ſecundo nos diſcordamus, quia dicimus quod tale verè & ſimpliciter eſt mor-

tale ſecundum quid vero & improprie immortale.

Ad cuins euidentiam ſciendum eſt, & valde memoriæ mandandum in hac materia, quod cum omnis cognitio quoquo modo abſtrahat à materia, materia impedit cognitionem, vt ait Commentator 3. de anima comm. 5. Et illud eſt videre in ſenſibus qui non cognoſcunt ſecundum qualitates reales, ſed ſecundum eorum intentiones, quare 2. de anima dicitur quod proprium eſt vnicuique ſenſui eſſe receptiuum ſpecierum ſine materia: iuxta itaque tres modos ſeparationis à materia, tres modi cognitionis in vniuerſum reperiuntur, quædam enim ſunt quæ totaliter ſunt ſeparata à materia, & ſic hæc in eorum cognitione neque indigent corpore tanquam ſubiecto, neque tanquam obiecto, eorum enim cognitio non recipitur in corpore, cum ipſa non ſint in corpore, neque à corpore mouentur, cum ſint mouentia non mota, & hæc ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, quas intellectus vel intelligentias appellamus, in quibus neque diſcurſus, neque compoſitio, neque aliquis motus reperitur, quædā vero ſunt quæ ſi non cognoſcant per qualitates ſenſibiles, verum per earum ſpecies, quæ quendam modum immaterialitatis induunt, etenim & ſine materia dicuntur, & ſpirituales ſunt, tamen quia in genere cognoſcentium infimæ ſunt & valde materia-

les ſunt, ideo in ſuis operationibus indigent corpore & tanquam ſubiecto & tanquam obiecto: etenim tales cognitiones & in organo recipiuntur, qnare & ſolùm ſingulariter repræſentant, & à re corporea mouentur, & hæc ſunt omnes vires ſenſitiuæ, licet aliquæ illarum ſint magis ſpirituales; & aliquæ minùs, vt ait Commentator 3. de anima comm. 6. & in libro ſuo de ſenſu & ſenſato; cum natura autem ordinate procedat, vt dicitur 8. Phyſ. inter iſta duo extrema, ſcilicet non indigere corpore vt ſubiecto vel vt obiecto, & indigere corpore vt ſubiecto & obiecto, eſt medium quod neque eſt totaliter abſtractum neque eſt totaliter immerſum; quare cum fieri nequeat vt aliquid indigeat corpore tanquam ſubiecto, & non tanquam obiecto, vt manifeſtum eſt? relinquitur vt tale intermedium non indigeat corpore tanquam ſubiecto, verùm tanquam obiecto; hoc autem eſt intellectus humanus, qui per omnes antiquos & modernos ponitur medius inter abſtracta & non abſtracta, ſcilicet inter intelligentias & gradum ſenſitiuum, infra quidem intelligentias, & ſupra ſenſitiua: Quare & in Pſalmo dicitur, minuiſti paulo eùm ab Angelis; & paulo poſt, conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, oues, & boues, &c. hicque modus cognoſcendi eſt ille quem dixit Ariſtoteles 1. de anima tex. 12. ſi intelligere aut eſt phan-

Digitized by Google

taſia, aut non ſine phantaſia, non contingit hoc eſſe ſine corpore: Et cum 3. de anima declarauit intelligere non eſſe phantaſiam, cum non ſit organicum, & quod non poteſt eſſe ſine phantaſia, cum 29. & 39. eiuſdem textu, nequaquam ſine phantaſmate intelligit anima: Ergo anima humana non indiget organo vt ſubiecto, ſed vt obiecto: iſtis autem omnibus gradibus cognoſcitiuis ſecundum Ariſtotelem & Platonem competit eſſe animas; quare ſaltem ſecundũ Ariſtotelẽ quodlibet cognoſcens eſt actus corporis phyſici organici, verùm aliter & aliter: nam intelligenti non ſunt actus corporis qua intelligentiæ ſunt, quoniam in ſuo intelligere & deſiderare nullo pacto indigent corpore, ſed qua actuant & mouent corpora cœleſtia, ſic animæ ſunt, & ſunt actus corporis phyſici organici, ſtella namque eſt organum cœli 2. de cœlo & 12. Metaph. tex. 48. omnis orbis eſt propter ſtellam: quare actuant corpus phyſicum organicum, & vt ſic indigent corpore vt obiecto, verùm ſic actuando & mouendo nihil recipiunt à corpore, ſed tantùm dant ei: Anima autem ſenſitiua ſimpliciter eſt actus corporis phyſici organici, quia & indiget corpore tanquam ſubiecto, cum non fungatur ſuo officio niſi in organo, & indiget corpore tanquam obiecto: media verò quæ eſt intellectus humanus in nullo ſuo opere totaliter abſoluitur à corpore, neq; totaliter immer-

gitur, quare non indigebit corpore tãquam ſubiecto, ſed tanquam obiecto & ſic medio modo inter abſtracta & non abſtracta erit actus corporis organici: nam intelligentiæ quâ intelligentiæ non ſunt animæ, quia nullo modo vt ſic dependent à corpore, ſed qua mouent copora cœleſtia: At intellectus humanus in omni ſuo opere eſt actus corporis organici, cùm ſemper dependeat à corpore tanquam obiecto: eſt & differentia inter intelligentiam & intellectum humanum in dependendo ab organo: quoniam humanus recipit & perficitur per obiectum coporale, cum ab eo moueatur. At intelligentia nihil recipit à corpore cœleſti ſed tantùm tribuit: A ſenſitiua autem virtute differt intellectus humanus in dependendo à corpore, quia ſenſitiua ſubiectiuè & obiectiuè dependet, humanus autem intellectus obiectiue tantùm: Et ſic medio modo humanus intellectus inter materialia & immaterialia eſt actus corporis organici: Quapropter non vno modo corpora cœleſtia, homines, & beſtiæ animalia ſunt, cum non vno modo eorum animæ ſint actus corporis phyſici organci, vt viſum eſt: Ideo Alexander in paraphraſi de anima dixit intelligentiam ſatis æquiuoce dici animam cœli, & cœlum animal: Cui & conſentire videtur Auerroës libro de ſubſtantia orbis, propriè verò beſtiæ animalia dicuntur, ſicut eſt communis vſus loquen-

Digitized by Google

di, medio autem modo homines animalia nuncupata ſunt: Neque apud Ariſtotelem fingendum eſt quod iſte modus intelligendi intellectus humani ſit ei accidentalis, ſcilicet moueri ab obiecto & non indigere ſubiecto, tum quia vnius rei operandi eſſentialis, tum quia ſicut modus eſt tantùm vnus modus, ſenſitiui nunquam tranſmutatur in modum intelligentiæ vel intellectus humani, neque modus intelligentiæ in modum humani vel ſenſitiui, ita pariter modus humanus intelligendi non videtur poſſe tranſmutari in modum intelligentiæ, quod eſſet ſi intelligeret abſque indigentia corporis vt ſubiecti & obiecti: hoc etiam firmatur, quia ſic natura tranſmutaretur in alteram naturam, cum operationes eſſentiales tranſmutarentur. Amplius per nullum naturale ſignum cognoſci poteſt intellectum humanum habere alium modum intelligendi vt experimento comprehendimus, quoniam ſemper indigemus phantaſmate: Quare concluditur quod hic modus intelligendi per phantaſma eſt eſſentialis homini: Ex quibus modò eſt ſyllogiſanda concluſio principalis intenta; ſcilicet quod anima humana ſimpliciter materialis eſt, & ſecundum quid immaterialis.

Primò per ſyllogiſmum diuiſiuum ſic; humanus intellectus eſt immaterialis & materialis, vt patet per habita; ſed non æqualiter de his participat, neque eſt plus

immaterialis quàm materialis, vt probatum eſt capite præcedenti; ergo eſt magis materialis quàm immaterialis, & ſic ſimpliciter erit materialis, & ſecundum quid immaterialis.

Secundo, eſſentiale eſt intellectui intelligere per phantaſmata vt monſtratum eſt, & patet per definitionem animæ, cum ſit actus corporis phyſici organici; quare in omni opere indiget organo: ſed quod ſic intelligit de neceſſitate inſeparabile eſt; ergo humanus intellectus mortalis eſt: Minor autem patet, tum ex Ariſtotele dicente, ſi intelligere eſt phantaſia, aut non ſine phantaſia, non contingit ipſam ſeparari, tum quia ſi ſeparabilis eſſet, vel non haberet operationem & ſic otiaretur, vel haberet, & ſic phantaſmate operaretur, quod eſt contra maiorem demonſtratam: Et iterum hoc ſic firmatur, quoniam Ariſtoteles non poſuit aliquam intelligentiam ſine corpore, cum 12. metaph. ſecundùm numerum orbium ponit numerum Intelligentiarum: Multò ergo minùs poteſt ponere intellectum humanum ſine corpore, cum ſit longè minùs abſtractus quàm intelligentia; imò ſi mundus eſt æternus, vt opinatus eſt Ariſtoteles, infinities infinitæ formæ ſunt actualiter ſine corpore, quod apud Ariſtotelem ridiculum videtur, quare anima humana apud Ariſtotelem abſolutè pronuntianda eſt mortalis; verùm cum ſit

media inter abſtracta ſimpliciter, & immerſa materiæ quoquo modo de immortalitate participat, quod & ſua eſſentialis operatio oſtendit; nam non dependet à corpore tanquam ſubiecto, in quo conuenit cum intelligentiis, differt à beſtiis, indiget corpore vt obiecto in quo conuenit cum beſtiis; quare & mortalis eſt: Et ad completam intelligentiam eorum quæ dicta ſunt, ſcire oportet, quid ſit indigere organo vt ſubiecto, & vt obiecto, & eis non indigere.

Indigere itaque organo vt ſubiecto, eſt in corpore recipi, & modo quantitatiuo & corporali, ſic quod cum extenſione recipiatur, quo modo dicimus omnes virtutes organicas recipere, & ſuis officiis fungi, ſicut oculus videndo & auris audiendo, viſio namque eſt in oculo & modo extenſio; quare non eſſe in organo, ſiue ſubiectiuè eo non indigere, eſt vel non eſſe in corpore, vel in eo non eſſe modo quantitatiuo; vnde dicimus intellectum non indigere corpore vt ſubiecto in ſui intellectione, non quia intellectio nullo modo ſit in corpore, cum fieri nequit ſi intellectus eſt in corpore vt ſua immanens operatio quoquo modo non ſit in eo, vbi enim ſubiectum eſt & accidens ſubiecti neceſſe eſt eſſe: ſed pro tanto intellectio dicitur non eſſe in organo & in corpore, quoniam modo quantitatiuo & corporali non eſt in eo; quapropte

poteſt intellectus reflectere ſupra ſeipſum, diſcurrere, & vniuerſaliter comprehendere, quod virtutes organicæ & extenſæ minime facere queunt; hoc autem totum prouenit ex eſſentia intellectus, quoniam qua intellectus eſt non dependet à materia, neque à quantitate' quod ſi humanus intellectus ab ea dependet, hoc eſt vt ſenſui coniunctus eſt, quare accidit ſibi qua intellectus eſt à materia & quantitate dependere; vnde & eius operatio non eſt magis abſtracta quàm eſſentia, niſi enim intellectus haberet quod ex ſe poſſet eſſe ſine materia, intellectio ipſa non poſſet exerceri niſi modo quantitatiuo & corporali: At quamuis intellectus humanus vt habitum eſt, intelligendo non fungatur quantitate; Attamen quoniam ſenſui coniunctus eſt, ex toto à materia & quantitate abſolui non poteſt, cum nunquam cognoſcat ſine phantaſmate, dicente Ariſtotele 3. de anima, nequaquam ſine phantaſmate intelligit anima, vnde ſic indigens corpore vt obiecto, neque ſimpliciter vniuerſale cognoſcere poteſt: ſed ſemper vniuerſale in ſingulari ſpeculatur, vt vnuſquiſque in ſeipſo experiri poteſt: In omni namque quantumcunque abſtracta cognitione idolum aliquod corporale ſibi format, propter quod humanus intellectus primò & directe non intelligit ſe, componitque, & diſcurrit: quare ſuum intelligere eſt cum

continuo & tempore, cuius totum oppoſitum contigit in intelligentiis quæ ſunt penitus liberatæ à materia: ipſe igitur intellectus ſic medius exiſtens inter immaterialia & materialia, neque ex toto eſt hic & nunc, neque ex toto ab hîc & nunc abſoluitur, quapropter neque ſua operatio ex toto eſt vniuerſalis, neque ex toto eſt particularis, neque ex toto ſubijcitur tempori, neque ex toto à tempore remouetur: Recte autem & ordinate ſic proceſſit natura, vt à primis ad extrema per media deuenia: intelligentiæ enim cum ſimpliciter abſtractæ ſint, nullo modo intelligendo indigent corpore vt ſubiecto, vel vt obiecto: quare ſimpliciter naturam cognoſcunt, primo ſe intelligentes, & ſimplici intuitu, quapropter & à tempore, & à continuo abſolutæ ſunt: virtutes autem ſenſitiuæ, cum immerſæ ſint materiæ, tantùm ſingulariter cognoſcunt, non reflectentes ſupra ſeipſas, neque diſcurrentes: At humanus intellectus ſicut medius exiſtit in eſſe, ſic & in operari, veluti retrò dictum eſt, vnde recepta in eo, neque penitus ſunt potentia intellecta, nec actu intellecta: Patet igitur quid ſit indigere corpore vt ſubiecto & vt obiecto, & eis non indigere, quæque indigent, quæque non indigent, & quomodo. Vlteriuſque ſciendum eſt quod quicunque ponunt animam eſſe immortalem, & multiplicatam dicunt, quod ex eo quod eſt naturæ imma-

terialis, ipſa eſt hoc aliquid per ſe ſubſiſtens: quare & ſine corpore poteſt eſſe & operari, ipſaque ſic ſeparata exiſtens non habet de virtutibus animæ niſi intellectum & voluntatem, ſicut & intelligentiæ, vnde nullam virium ſenſitiuarum vel vegetatiuarum habet, niſi velut in principio valde remoto: At quoniam ipſa inter ſubſtantias abſtractas infima eſt, vltra illum modum eſſendi habet & alium, nam & poteſt eſſe quo aliquid ſit: quare veraciter poteſt corpus ipſum informare, & ex ſui imperfectione numerari ad numerationem corporum, induitque omnes vires ſenſitiuæ, & vegetatiuæ quare cum organo illas exerceet, & vt ſic morticinia ſit: intellectum autem & voluntatem ſic coniuncta corpori quamuis habeat, libere tamen eas exercere non valet, quandoquidem ſine corporali inſtrumento ſaltem vt obiecto earum officio fungi non poteſt, cuius oppoſitum contingit in ſeparatione, quoniam totaliter abſque organo corporali exire poteſt in actum: At altera opinio exiſtimans hæc eſſe deliramenta, & principiis Philoſophiæ repugnantia, vtpote quod idem ſit hoc aliquid per ſe ſubſiſtens & etiam quo hoc aliquid aliud ſit: tanquam diſparatos modos operandi habens, moduſque ille eſſendi ſeparatus nulla ratione vel experimento probatus, ſed ſola voluntate poſitus, modoque habens potentias ſenſitiuæ & vegetatiuæ, modo

eas deſerens, ſecundum vnum modum intelligens coniuncta, ſecundùm alium ſeparata, pauciſſimoque tempore coniuncta, infinito ſeparata, niſi fingamus tranſmigrationem animarum in corpore ipſamque incepiſſe, & nunquam defecturam, modo induens corpus, modo ſpolians, vt vulgus fert de lamiis, cumque à corpore ſeparatur deſinit actualiter eſſe actus corporis: quare vel nullibi eſt, vel ſi alicubi, quomodo igitur illuc peruenit aut enim alteratione, aut motu locali: non alteratione, vt manifeſtum eſt: neque motu locali, cum ſexto phyſic. indiuiſibile localiter moueri non poteſt, quod ſi nullibi ponitur, quid igitur prohibet ſecundum Ariſtotelem ponere & aliquas intelligentias non mouentes orbes, infinitieſque infinita onetur illa multitudo, neque ſciri poteſt an otietur vel operetur, niſi confictum aliquid vel voluntarium ponatur, cumque materialia actu infinita eſſe non poſſunt, in quibus manifeſta eſt multiplicatio, & etiam neceſſaria eſt in immaterialibus in quibus non eſt neceſſaria multiplicatio, neque poſſibilis eſt diſtinctio in eadem ſpecie ponitur infinita multitudo actu: Quapropter cum hæc omnia irrationabilia & ab Ariſtotele aliena eſſe videantur, ideo rationabilius videtur quod anima humana cùm ſit ſuprema & perfectiſſima materialium formarum, vere eſt quo ali-

quid eſt hoc aliquid, & nullo modo ipſa vere eſt hoc aliquid, quare vere eſt forma ſimul incipiens & deſinens eſſe cum corpore, neque aliquo pacto poteſt operari vel eſſe ſine eo vnumque tantum modum eſſendi vel operandi habet, quare & multiplicari poteſt, cum iſtud vere ſit principium multiplicandi in eadem ſpecie, neque ſunt actu infinitæ, ſed tantum potentia, ſicut & cætera materialia, virtuteſque habet organicas & ſimpliciter materiales ſcilicet ſenſitiuę & vegetatiuæ, verùm cùm ipſa ſit materialium nobiliſſima in confinioque immaterialium aliquid immaterialitatis odorat, ſed non ſimpliciter, vnde habet intellectum, & voluntatem in quibus cum Diis conuenit, verùm ſatis imperfecte & æquiuoce, quandoquidem Dij ipſi totaliter abſtrahunt à materia, ipſa vero ſemper cum materia, quoniam cũ phantaſmate, cum continuo, cum tempore, cum diſcurſu, cum obſcuritate cognoſcit, quare in nobis intellectus & voluntas non ſunt ſincerè immaterialia, ſed ſecundum quid & diminute, vnde veriùs ratio quam intellectus appellari dicitur, non enim vt ita dixerim, intellectus eſt, ſed veſtigium & vmbra intellectus, cui teſtatur quod dicitur 2. Metaph. ſicut ſe habet oculus nycticoracis ad lumen ſolis, ſicut intellectus noſter ad manifeſtiſſima in natura, quamquam per-

uerſe illud expoſuerit Auerroës, & quemadmodum Luna eſt de natura terræ, vt dicit Ariſtoteles lib. de anim. ſic anima humana eſt de natura intelligentiæ, in Luna autem eſt terra ſolum ſecundum proprietatem, non autem ſecundum eſſentiam: quare & intelligere eſt in anima humana ſecundum participationem proprietatis & non eſſentiæ, hoc autem totum conſonat naturæ quæ gradatim procedit, vegetabilia enim aliquid animæ habent, cum in ſeipſis operentur: At multum materialiter, cum ſuis non fungatur officiis niſi per qualitates primas, & ad eſſe reale earum operationes terminantur: Deinde ſuccedunt animalia ſolum tactum & guſtum habitentia, & indeterminatam imaginationem: poſt quæ ſunt animalia quæ ad tantam perfectionem perueniunt vt intellectum habere exiſtimemus, nam multa mechanicè operantur, vt conſtruendo cauſas; multa ciuiliter, vt apes, multa omnes fere virtutes morales, vt patet inſpicienti libros de hiſt. anim. in quibus miranda ponuntur quæ referre nimis eſſet prolixum: imo infiniti fere homines minùs videntur habere de intellectu quàm multæ beſtiæ. Ponitur & cogitatiua inter vires ſenſitiuas, de cuius excellentia quid dicere oportet, quando teſte Commentatore 2. de anima comm. 60. cognoſcat indiuidua decem prædicamentorum, ratioque particularis ab omnibus poſita ſit;

imo Galenus, Homerus, & multi excellentes viri ipſam eſſe intellectum exiſtimauerunt; quod ſi parùm aſcendamus, humanum intellectum ponemus immediate ſupra cogitatiuam, & infra immaterialia, de vtroque participantẽ, vt ſcilicet non indigeat corpore vt ſubiecto ad modum prius expoſitum, & indigeat vt obiecto, qui modus eſt ſibi eſſentialis & inſeparabilis; quare inter materiales formas abſolulute reponendus eſt, cui atteſtatur quod tantum cum mortalibus conuerſatur niſi fingamus (vt Antiqui) homines Deos fieri & in cœlum rapi, quod totum fabuloſum 3. & 12. Metaph. eſſe exiſtimauit Ariſtoteles, illudque à legibus eſſe confictum propter hominum vtilitatem. Ad hanc itaque poſitionem nullum ſequi videtur inconueniens, omnia rationi & experimentis conſonare, nihil fabuloſum, nihil creditum poni. Quod ſi quæ videntur contra hunc modum eſſe, vtpote cum ſit in materia calida & frigida, quomodo fieri poteſt vt non qualis fiat, & in ſui opere organo non fungatur, & vniuerſaliter non recipiat: hæc certe & huiuſmodi ſatis debilia non minus difficultatem faciunt contra priorem poſitionem, cum & ipſa fateatur eſſe formam in materia. Quod ſi quis dicat neutram opinionem eſſe veram, ſed illam Auerrois, profecto apud me quicunque eam opinionem imaginatur ipſe eſt fortiſſimæ imagi-

nationis, credoque pictores nunquam pulchrius monſtrum hoc monſtro finxiſſe, cum hoc quoque ſit contra Ariſtotelem vt ſupra monſtratum eſt. Quare hæc recitata mihi inter omnes probabilior videtur, magiſque ad mentem Ariſtotelis. Ex quibus omnibus patere poteſt, quod multa quæ dicuntur ab Ariſtotele de intellectu videntur ſe inuicem oppugnare cum minime oppugnent: dicit enim quandoque quod eſt materialis & mixtus ſeu non ſeparabilis, quandoque vero quod eſt immaterialis & ſeparabilis. In definitione namque dicitur quod eſt actus corporis organici, quandoque vero dicitur quod nullius corporis eſt actus, hæc vero pugnantia videntur: quare in diuerſos tramites diuerſi declinauerunt, & aliqui exiſtimant Ariſtotelem ſeipſum non intellexiſſe: verùm omnia iam aperta ſunt ex prædictis, neque vlla eſt contrarietas: intellectus enim abſolute & quà intellectus eſt omnino immixtus, & ſeparatus eſt, at humanus vtrumque retinet, nam ſeparatur à corpore vt ſubiecto, non ſeparatur vero ab obiecto: intellectus etiam quà intellectus, nullo modo eſt actus corporis organici, quoniam intelligentiæ non indigent organo ad intelligendum, ſed tantum ad mouendum: At intellectus humanus qua humanus, eſt actus corporis organici vt obiecti, & ſic non ſeparatur, non autem vt ſubiecti, & ſic ſeparatur, quare

nullum repugnans.

In tertio autem dicto, videlicet quod anima eſt vere forma hominis, apparet quod longe melius ſecundum iſtum modum ſaluatur quàm ſecundum priorem: eſt enim, vt dicebatur, valde difficile imaginari quod vnum per ſe exiſtens ſit vere forma: quare D. Gregorius Niſſenus, vt refert D. Thomas de eo, cum vidit Ariſtotelem dicere animam eſſe actum corporis, dixit Ariſtotelem credere animam humanam eſſe corruptibilem, quia forma per ſe exiſtens vere non poteſt eſſe actus corporis organici, imo & aliqui dicunt hoc etiam ſenſiſſe Gregorium Nazianzenum de Ariſtotele.

Quartum autem, ſcilicet quod animæ humanæ ſint numeratæ, affirmamus, verum illa quæ ſuperiorem modum torquebant, nos non torquent: etenim cum materiales ſint, diſtinguntur per materiam, neque infinitas animarum nos conturbat.

De quinto etiam dicimus quod anima humana eſt facta, ſed non per creationem, verum per generationem, cum ſol & homo generent hominem 2. Phyſ. & ipſa eſt vltima in conſideratione naturali: & quod dicitur 1. de part. cap. 1. de intellectu non ſpectare ad naturalem, verum eſt de vero intellectu, ipſe enim eſt mouens non motus: at humanus eſt mouens motus: quare hic eſt de conſideratione, ille vero minime, cum 2. Phyſ. quæ non mota mouent non

ſunt phyſicæ conſiderationis: & hanc ratiõ tangit Philoſophus ibi 1. de part. Cumque vlterius dicebatur ipſam venire deforis, intelligendum eſt, vt mens ſimpliciter, non humana: vel ſi vt humana, intelligendum eſt non abſolute, ſed quod in ordine ad ſenſitiuam & vegetatiuam magis participat de Diuinitate: Nam 4. de part. cap. 9. ſolus homo eſt erectæ naturæ, quia ſolus homo multæ Diuinitatis eſt particeps: non tamen ponimus quod homo remaneat poſt mortem quantum ad eius animam, cum incipiat eſſe, & 1. de cœlo quicquid incipit deſinit, & Plato 8. de legibus dicit, quicquid quomodocunque incipit eſſe, & deſinit eſſe: & quod dicitur de textu 17. duodecimi Metaph. non approbo Alexandri reſponſionem quam ibi refert Commentator ex relatione Themiſtij, illud ſcilicet intelligi de intellectu agente, nam intellectus agens non eſt forma hominis: ſed intelligitur de intellectu poſſibili, qui quandoque intelligit, & quandoque non corrumpitur enim quodam interius corrupto, ideſt ſenſitiuo cui identificatur, verum Ariſtoteles illud intelligit de per ſe & non per accidens, quaſi dicat nihil prohibere eum remanere qua intellectus eſt, non qua humanus, cum iam 1. de cœlo monſtratum eſt quod omne genitum corrumpitur: ſed quod hæc mens fuerit Ariſtotelis de anima humana poteſt manifeſtari ex 12. Metaph. tex. 39. vbi ſcri-

bit hæc. Delectatio autem qualis optima paruo tempore nobis, ſic enim ſemper illis eſt, nobis quidem impoſſibile, Ex quibus verbis primo apparet quod Dij ſimpliciter immortales ſunt: nam ſi ſemper delectantur, quoniam ſemper intelligunt, in eodem enim textu ſequitur, vigilatio, ſenſus, & intelligentia delectabiliſſimum: ſi ergo ſemper delectantur ſemper ſunt: Ergo immortales ſunt: At homines mortales ſunt, quoniam pauciſſimo tempore delectantur, operari enim ſequitur eſſe: Quod ſi homo quandoque immortalis nuncupatur, id intelligitur ſecundum quid, quoniam & 2. de part. cap. 10. dicitur, ſolus homo inter mortalia maximæ Diuinitatis eſt particeps, comparatuſque cæteris mortalibus immortalis dici poteſt, ſicut enim dictum eſt, homo eſt medius inter Deos & beſtias, quare ſicut pallidum comparatum nigro dicitur album, ſic homo comparatus beſtiis dici poteſt Deus & immortalis, ſed non vere & ſimpliciter: Quod ſi maiores noſtri homines in Deos verſos aliquando poſuerunt, inquit Ariſtot. 12. Metap tex. 50. hoc fabuloſe poſuerunt ad perſuaſionem multorum, & ad opportunitatem multorum, & ad leges conferens: ſed ſolus Deus ipſe proprie immortalis dicitur, in fine 11. illius 39. textus dicit, dicimus autem Deũ animal eſſe ſempiternum optimum: quare vita & duratio continua & æterna exiſtit Deo, hoc enim

Deus. Alterum etiam ex iſtis verbis apparet ſcilicet humanum intellectum ſine phantaſmate non intelligere: namque æterna ſemper delectantur, quia ſemper intelligunt, ipſa in ſua intellectione non indigent phantaſmate, ſi enim indigerent, æterna non eſſent, cum 2. de anima phantaſia ſit motus factus à ſenſu ſecundum actum, imo nec ſunt mota ab aliquo dum intelligunt, dicente Philoſopho eodem tex. 50. diuiniſſimum & honorabiliſſimum non tranſmutatur: indignius enim tranſmutatio & motus quidem iam tale: imo in eis, quod intelligit, quod intelligitur, & intellectio idem ſunt, vt eiſdem citatis textibus dicitur: At humanus intellectus cum pauciſſimo tempore intelligit, non poteſt abſolui à phantaſmate, cum non intelligat niſi motus, nam intelligere in quodam pati conſiſtit, mouens autem intellectum eſt phantaſma vt patet 3. de anima: quare non intelligit ſine phantaſmate, quanquam non ſicut phantaſia cognoſcit: quoniam medius exiſtens inter æterna & beſtias vniuerſale cognoſcit, ſecundum quod cum æternis conuenit, & differt à beſtiis: tamen vniuerſale in ſingulari ſpeculatur, quod differt ab æternis, & conuenit quoquo modo cum beſtiis: beſtiæ autem ipſæ in fine cognoſcentium conſtitutæ neque ſimpliciter vniuerſale, neque vniuerſale, in ſingulari,

ſed tantum ſingulare ſingulariter comprehendunt: Sunt itaque in vniuerſum tres modi animalium, cumque omne animal cognoſcit, ſunt & tres modi cognoſcendi: ſunt enim animalia omnino æterna, ſunt & omnino mortalia, ſunt & media inter hæc: prima ſunt corpora cœleſtia, & hæc nullo modo in cognoſcendo dependent à corpore: alia vero ſunt beſtiæ, quæ à corpore dependent vt ſubiecto & obiecto, quare tantum ſingulare cognoſcunt: intermedia vero ſunt homines, non dependentes à corpore vt ſubiecto, ſed tantum vt obiecto, quare neque vniuerſale, ſimpliciter vt æterna, neque ſingulariter tantum, vt beſtiæ, ſed vniuerſale in ſingulari contemplantur: hos autem tres modos cognocendi inſinuauit Ariſtoteles 1. de anima cum dixit, ſi intellegere eſt phantaſia, aut non eſt ſine phantaſia: nam per phantaſiam intelligit ſenſum qui vtroque modo indiget corpore, ſcilicet, vt ſubiecto & vt obiecto: per non eſſe vero phantaſiam & non eſſe ſine phantaſia, intelligit intellectum humanum, quare indiget corpore vt obiecto & non vt ſubiecto; illud autem quod neque eſt phantaſia & omnino eſt ſine phantaſia, verè intellectus eſt, & eſt diuinorum; neque plures modi cognoſcendi ab Ariſtotele in aliquo loco ſunt reperti, neque conſonat rationi; dicere enim vt volunt affirmantes intellectum humanum

Digitized by Google

eſſe abſolutè immortalem ipſum intelle-ctum duos habere modos cognoſcendi, ſcilicet ſine phantaſmate omnino, & aliũ cum phantaſmate, eſt tranſmutare naturam humanam in diuinam, & parùm hoc diſtat à fabulis Ouidij in libro metamorphoſeos, concedit enim philoſophos antiquos hoc fabulosè poſuiſſe ad vtilitatem legum, ſicut dictum eſt. Quod ſi quis calumniabitur, quoniam dictum illud, ſcilicet nos pauciſſimo tempore delectari, intelligendum eſſe de homine, & non de eius anima; quare homo non intelligit ſine phantaſmate, homo enim mortalis eſt, at anima eius immortalis eſt, quare vt in ſeparatione ſine phantaſmate intelligit; ſed obſecro ſic calumniantem, imò cauillantem videre nedum Ariſtotelem interpretari ſtudeat Ariſtotelem corrumpat; in primis quidem quoniam Ariſtoteles hîc non facit differentiam inter hominem & animam, cùm neque inter Deum & corpus cœleſte, dicit enim Deum eſſe animal æternum; ſecundò quia ſi tantùm de homine & non de anima eius intelligit, vbi igitur de cognitione animæ ſeparatæ loquitur? Nam ibi erat locus, cùm in metaphyſica ſit quæ eſt de ſeparatis. Tertiò quia ſic anima humana ſimpliciter efficeretur diuina, cùm modum operandi Diuinorum ſumeret, & ſic poneremus fabulas Ouidij, ſcilicet naturam in alteram naturam

rem transmutari. Quartò quoniam in tanta re Ariſtoteles nunquam verbum faciens maximè eſſe accuſandus: quare ſic excuſantes Ariſtotelem, maximè Ariſtotelem incuſant. Quòd ſi quis dicat quod de eſſe animæ ſeparatæ Ariſtoteles 3. de anima textu comm. 36. promittit tractare cum dixit ſe poſteriùs pertractaturum an humanus intellectus poſſit ſeparata intelligere: quare vel liber metaphyſicæ ab Ariſtotele nō fuit perfectus fortaſſis morte præuento, vel quoniam nondum complementum peruenit ad nos, vnde non mirum ſit ſi de eius eſſe ſeparato nihil ab Ariſtotele habemus, quod per Commentatorem 3. de anima comm. 36. confirmatur, cum ipſe dicat iſtam quæſtionem nō fuiſſe terminatam ab Ariſtotele quantum adhuc habemus per eius libros, quare eſt tam difficilis. Ad hoc autem dicitur quod illa verba magis arguunt oppoſitum, quàm propoſitum, dicit enim ſic, vt cum autem contingat aliquem ſeparatorum intelligere ipſum exiſtentem non ſeparatum à magnitudine, aut non, conſiderandum poſterius; ex quibus apparet primò quod intellectus humanus à magnitudine non eſt ſeparabilis, quare ſine phantaſia non cognoſcit, & ſi ſic, inſeparapilis; eſt: quoniam ſi eſt phantaſia aut non ſine phantaſia inſeparabilis: eſt: verùm ad quod, dicitur (poſterius perſcrutan-

D

dum) D. Thomas in expoſitone vltimi textus 9. metaph. dicit, illo textu Ariſtotelem illam quæſtionem determinare, quã inſolutam 3. de anima reliquit, quanquam ipſe D. Thomas 3. de anima aliter dixerit, ſcilicet in Metaphyſica in melius mutauit ſententiam: verùm talis cognitio quæ 9. metaph. ponitur de intelligentiis non eſt ſine phantaſmate, cum & in principio 2. meteph. dicat Ariſtoteles intellectum noſtrum ad ſeparata ſe habere ſicut Nycticorax ad lumen ſolis: vnde & D. Thomas lib. 3. contra gentiles cap. 48. dicit ſententiam Ariſtotelis de intellectione ſeparatorum eſſe, quod tantum ea intelligimus ſecundùm curſum ſcientiæ ſpeculatiuæ, quare non ſine phantaſmate vt notum eſt: & diligenter aduerte quod ibi videtur innuere hanc noſtram opinionem, ſcilicet quod Ariſtoteles ſenſerit animam humanam non verè eſſe intelligentem, ſed ſolum habere quandam participationem intellectus, quare & impropriè immortalis; puto tamen quòd & illud verbum (poſterius perſcrutandum) poteſt intelligi de libris Ethicorum, ibi enim declarat quod vltima felicitas animi eſt in contemplatione abſtractorum per Metaphyſicam; quare idem quod prius.

In quo reſpondetur ad obiecta aliarum opinionem.

CAPVT X.

VT validior ſit noſtra poſitio operæ pretium eſt ad ea, quæ in oppoſitum per alias opiniones adducta, ſunt reſpondere: & quoniam tenemus in homine idem ſecundum rem eſſe vegetatiuum, ſenſitiuum & intellectiuum, ideo reſpondetur quod contradictoria de eodem abſolutè dici non poſſunt, tamen quod vnum abſolutè & alterum ſecundùm quid, vel ambo ſecundum quid non inconuenire, ſicut dicitur in Elenchis, & ſic eſt in propoſito, quã intellectus humanus abſolutè eſt mortalis & ſecundùm quid immortalis.

Ad primum contra ſecundum dictum dicitur quod anima humana ſic potens recipere omnes ſpecies formarum materialium duas habet conditiones: vnam ſcilicet quòd ſecundùm ſe eſt immaterialis & non indigens organo tanquam ſubiecto pro quanto recipit & intelligit illa, quod nos concedimus: verùm alteram habet quoniam formas illas non recipit niſi mota à phantaſmatibus ſicut planè ibi docet Ariſtoteles, quare indiget organo tanquam obiecto: ſed per demonſtrata quod

ſic ſe habet eſt ſimpliciter materiale & ſecundùm quid immateriale, & hæc eſt noſtra concluſio intenta: quod ſi dicitur nunquid ipſa eſt forma materialis? dicimus quòd in parte ſit, & in parte non: & quantum ad id quod de immaterialitate participat, licet non cognoſcat ſe per ſpeciem propriam, ſed aliorum, vt dicitur 3. de anima, ſecundùm tamen illud eſſe, poteſt quoquo modo ſupra ſeipſum reflectere & cognoſcere actus ſuos, licet non primò & ita perfecte ſicut intelligentiæ: nec mirandum eſt quoniam anima intelligendo non vtitur organo corporali, neque appenditiis materiæ: & ſi vlterius inſtetur, ipſa anima non habet eſſe niſi in materia, & per qualitates primas vnà cũ qualitate ſed cũ operari ſequitur eſſe, ergo ſine illis operari non poteſt, ergo non poteſt operari ſine appenditiis materiæ cuius oppoſitũ dicis: Præterea ſecũdùm philoſ. 2. & 3. de anima, ad hoc vt pupilla recipiat omnes colores non ſolùm ſua eſſentia non debet eſſe color, verùm nec coniuncta colori, ergo ſi anima intellectiua debet recipere omnes formas materiales, nedùm debet eſſe immaterialis, verum nec alicui formæ materiali coniuncta, & per conſequens neque cũm calido vel frigido quod tamen falſum eſt: verum ſic opponens non videt quòd & hæc omnia ſunt & contra alias opiniones, nam & ſecundùm eas anima non eſt

in materia niſi per quale & quantum, quare & ſine illis operari non poterit: quòd ſi qua eſt reſponſio pro eis & pro hac erit; veruntamen ad primum dicitur quod reuera intellectus humanus non poteſt intelligere niſi in materia ſint quale & quantum ſenſibile, cum non poſſit operari niſi ipſe ſit, ipſeque eſſe non poteſt niſi cum diſpoſitione conuenienti, non tamen ſequitur quod per tales diſpoſitiones intelligat, imò vt ſatis liquet non ſequitur in ſenſu, nam virtus viſiua non videt niſi oculos ſit calidus, non tamen per caliditatem, vel aliquam aliam qualitatem realem videt, ſe per ſpeciem viſibilem.

Ad ſecundum dicitur quod materiale vniuerſaliter non impeditur per coëxiſtentiam alterius materialis à cognitione, ſic enim viſus non cognoſceret colores, cum viſui ſint coniunctæ primæ qualitates, ſed bene per coëxiſtentiam alicuius illorum quorum ipſe eſt perceptiuus impeditur, per rubedinem enim impeditur à cognitione aliorum colorum quorum & rubedinis eſt perceptiuus: quapropter ſi intellectus eſſet pura forma materialis, cum omnium formarum materialium eſt perceptiuus, impediretur ab earum cognitione; At ipſum eſſe immaterialem probatum eſt, licet non ſimpliciter immaterialis ſit: quapropter per coëxiſtentiam formarum materialium non im-

peditur, alterius enim rationis ſunt materiale & immateriale, intellectus enim agens non impedit poſſibilem à receptione ſpecierum quantumcumque perficiat poſſibilem, ſicut dicit Cõmentator comm. 4. & 5. tertij de anima.

Ad ſecundum verò in oppoſitum adductum dicitur, quod ea quæ ſunt in intelligentiis ſunt ſimpliciter actu intellecta, & penitus à materia denudata: quæ autem ſunt in ſenſu ſunt mere intellecta in potentia, quæ verò ſunt in intellectu humano medio modo ſe habent, quoniam ſpecies primò vniuerſaliter repræſentat, ſecundariò verò vt in ſuppoſito, quandoquidem ex toto abſolui non poteſt à materia, cum intellectus pro quacunque ſui cognitione moueatur ab obiecto; & in ſingulari ſpeculetur vniuerſale, ſicut dictum eſt: ſed per monſtrata hic arguit virtutem ſecundùm quid, non autem ſimpliciter immaterialem: Quod ſi dicitur cum ipſe intellectus ſit in hac quantitate, quomodo igitur ſpecies in eo recepta poterit vniuerſaliter repræſentare: Cui dicitur hoc nihil prohibere: primò quia accidit ſibi qua intellectus eſt vt ſit in quantitate: ſecundò quoniam etſi eſt in quantitate, tamen quantitas non eſt principium illius operationis, neque in eo opere ea per ſe vtitur: Tertiò quoniam ex dictis

patet, non ex toto abſoluitur à quantitate & eius conditione, cum ſemper ſpeculetur vniuerſale in particulari: intellectus enim humanus habet, & quod ſit intellectus, & humanus, qua enim intellectus eſt, vniuerſale cognoſcit; ſed qua humanus vniuerſale niſi in ſingulari perſpicere nequit: Ad illud verò de organo dicitur iuxta prædicta ipſum indigere eo vt obiecto, non ſubiecto; quid autem vtrumque horum ſit ſuperiori capite dictum eſt; & ſi inſtetur nonne coniungitur materiæ per qualitates primas, qualis igitur vtique fiet? quare aut calor aut frigus, non igitur omnia cognoſcet; Ad quod dicitur intellectum non coniungi materiæ qua intellectus eſt, ſed qua coniungitur ſenſui; quare etſi in opere ſentiendi qualis fiat non tamen in opere intelligendi, propter quod vt intellectus eſt non eſt qualis, neque organicus. Quod ſi vlterius quæratur quod intelligere humanum ſit accidens quod ſine ſubiecto eſſe non poteſt, in quo igitur ponetur ipſum intelligere; Ad quod dicitur verè ſecundùm eſſentiam ipſum intelligere eſſe in ipſo intellectu, iuxta illud 3. de anima, anima eſt locus ſpecierum non tota ſed intellectus; verùm quoniam intellectus humanus eſt in materia quaſi per quandam cõcomitantiam, & ipſum intelligere quo-

Digitized by Google

dam concomitantiam, & ipſum intelligere quodam modo eſt in materia ſed ſatis accidentaliter, quoniam intellectus qua intellectus eſt, accidit eſſe in materia, non tamen in aliqua parte corporis ponitur ipſum intelligere, ſed in toto categorematicè ſumpto, non enim in aliqua parte, quoniam ſic eſſet organicus intellectus: & vel non omnia cognoſceret, vel ſi omnia cognoſceret vt cogitatiua tantùm ſingulariter & non vniuerſaliter cognoſceret, quare ſicut intellectus eſt in toto, ita & intelligere; non inconuenienter igitur Alexander poſuit totum corpus eſſe inſtrumentum intellectus, quoniam intellectus omnes vires comprehendit, & non aliquam partem determinatam, quoniam ſic non omnia cognoſceret, ſicut neque aliqua virtutum ſenſitiuarum quamquam autem ſic totum corpus ponatur inſtrumentum intellectus quaſi vt ſubiectum, non tamen vere eſt vt ſubiectum, quoniam intelligere non recipitur in eo modo corporali, vt prius dictum eſt: Et ſi amplius quæratur, an humanus intellectus indiuiſibiliter recipiat: dicitur quòd quâ intelligit indiuiſibiliter recipit: quà verò ſentit, vel vegetat, diuiſibiliter: neque inconuenit tam multiplicem naturã, natura tot diuerſos modos recipiẽdi & operandi habere: Ad illud vero de experimento, in primis mirere quomodo Diuus Thomas illud adduxerit, cum Ariſtoteles 3. Ethic.

dicat voluntatem eſſe impoſſibilium, veluti in appetendo immortalitatem, inde ſi voluntas noſtra non eſt niſi in anima intellectiua, ſi appetendo immortalitatem per Ariſt. appetit impoſſibile: nō ergo anima humana poteſt eſſe immortalis: Quare dicitur ad argumentum non eſſe euidens ſignum illud, quoniam vt ibi dicit Philoſophus, voluntas naturaliter eſt impoſſibilium, cum in impoſſibili poſſit ſaluari ratio boni: & quod vlterius dicebatur appetitum naturalem non fruſtrari: verum eſt ſumendo naturale vt diſtinguitur ab intellectiuo, nam illud eſt opus intelligentiæ non errantis: vnde in quod fertur voluntas ſine cognitione, fruſtrari non poteſt: at ſic per cognitionem, fruſtrari poteſt niſi ſit recta: ratio præſentato enim ſummo bono etiam Diis competente, voluntas fertur in illud eſſe impoſſibile; quare ne fruſtretur oportet voluntatem eſſe regulatam per rationem rectā: licet etiam dicere poſſemus quòd ſicut mulus medius inter aſinum & equum de vtriſque participat, non tamen verè habet proprietates equi vel aſini: ſic & anima humana media inter materialia & immaterialia affectat æternitatem, licet eam aſſequi perfectè non poſſit; nam & mulus habens omnia inſtrumenta ad generationem perfectè eam conſequi non poteſt, quamquam eam maximè deſideret; imò

non inconuenit aliquod naturaliter à tota ſpecie fruſtrari, dummodo ſecundùm genus non fruſtretur, ſicut dictum eſt de mulis in quibus fruſtrantur membra generationis, ſed ſaluantur in ſuo genere, & talpa oculos habens non videt, ſed in animali non fruſtrantur vt habetur lib. de hiſt. anim. quare & humanus animus deſiderat immortalitatem quam conſequi non poteſt abſolutè, ſed ſufficit quod ſeparata ſimpliciter conſequatur: quare Ariſtoteles 2. metaphyſ. comparauit humanum intellectum noctuæ & non talpæ, noctua enim aliqualiter videt, talpa autem nihil, vnde & 9. metaph. tex. vlt. dixit intellectum humanum in cognoſcendo abſtracta, non eſſe cæcum, ſed cæcutientem: quapropter æternitatem affectat, ſed non perfecto appetitu deſiderat: Ad verba autem Ariſtotelis patet reſponſio per ea quæ dicta ſunt: vniuerſaliter enim corpora cœleſtia, homines, beſtiæ, & plantæ animata ſunt, eorumque animæ ſub vniuerſali definitione animæ continentur: verùm non vno modo: intelligentiæ enim qua actuant corpora cœleſtia ſunt actus corporis phyſici organici, ſed non qua intelligentiæ ſunt, etiam & qua actuant nihil recipiunt, ſed tantùm tribuunt: At humana anima ſimpliciter eſt actus corporis phyſici organici, quoniam nullam habet operationem in qua

aliquo modo non dependeat à corpore, etſi non vt ſubiecto, ſaltem vt obiecto, vnde aliquid recipit à corpore quod non contingebat in intelligentia in mouendo corpus, ipſa enim tantùm tribuit & non recipit, ſenſitiua autem & vegetatiua penitùs immerſæ ſunt materiæ, licet vegetatiua magis quàm ſenſitiua, quare ſunt actus prorſus corporis organici & vt ſubiecti & vt obiecti hocque rectè & ordinatè natura inſtituit, ſicut enim ab omnino immobilibus quæ ſunt intelligentiæ ad corpora cœleſtia deſcendimus quæ tantùm ſecundùm locum mouentur, & hæc neque ſecundùm totum, ſed ſecundùm partem; poſthæc verò ad generabilia & corruptibilia quæ & ſecundùm tota, & ſecundùm omnem modum motus tranſmutantur, ſic & intelligentiæ inter omnes animas minimè ſunt actus corporis organici, deinde humanus intellectus, tertiò ſenſus, quarto vegetatiuus; indigere enim corpore quoquo modo non abſoluitur ab imperfectione, vnde conuenientiſſimus eſt iſte ordo: Ad id verò quod de intellectu agente dicebatur quoniam ipſe verè eſt immortalis, quare & paſſiuus, quandoquidem ambo hi ſunt partes eſſentiales vel poteſtatiuæ animæ humanæ, hinc dicitur quòd verbum illud magis eſt in oppoſitum quam in propoſitum, ibi enim dicit Ariſtoteles quòd ſo-

lus intellectus agens verè eſt immortalis & ſemper eſt in actu, paſſiuus verò non, cum quandoque intelligat & quandoque non, quare cum perpetuam non habeat operationem, neque perpetuam habet eſſentiam, vnde ad rationem dicitur quòd intellectus poſſibilis eſt ſecundùm quid immortalis, ſed ipſe agens eſt verè immortalis, cum ſit vna intelligentiarum, neque ipſe eſt pars aliqua animæ humanæ, ſicut Themiſtius & Auerroës exiſtimauerunt, ſed tantùm motor: Quod autem Ariſtoteles dixerit eſſe partem animæ, verum eſt vt anima communis eſt intelligentiæ & humano intellectui, ex quo non ſequitur quod ſit pars animæ humanæ; eſt enim fallacia conſequentis, & hoc eſt ſimile ei quod dicitur de materia prima, nã ipſa eſt ſuſceptiua ſecundùm verũ eſſe omnium formarum materialium; intellectus verò tantum ſecundum eſſe intentionale, cum lapis non ſit in anima, ſed eius ſpecies; verum quod educit de potentia ad actum materiam primam ſecundum eſſe formarum, non eſt aliquid materiæ primæ, neque ei coniunctum ſecundum eſſe, ſed motor vniuerſalis qui natura agens dici poteſt, ſic intellectus humanus cum eam proportionem habeat in genere intelligibilium qualem habet materia prima in genere ſenſibilium, vt etiam Themiſtius & Auerroes

confitentur, mouebitur ad ſuſcipiendum omnes ſpecies ab aliquo quod non eſt pars eius, neque ei coniunctum, & hoc dicitur intellectus agens, ſicut quod vniuerſaliter mouet materiam dicitur mouens naturale; neque verum eſt quod ſubiungit Themiſtius ſcilicet quod nos ſumus intellectus agens, vel quod ſit pars noſtri vt verê forma, ſed tantum vt motor; illa enim copulatio purum figmentum eſt: Cætera autem quæ vlterius adducebantur aut non ſunt contra poſitionem, aut per dicta in alio capite ſunt ſoluta, veluti qualiter intellectus veniat deforis, & remaneat poſt mortem.

CAPVT XI.

In quo mouentur tria dubia circa ea quæ dicta ſunt.

CIrca ea quæ dicta ſunt nonnulla oriuntur dubia.

Primum, quoniam dictum eſt animam humanam vere eſſe mortalem, ſecundum quid autem immortalem; iſtud quidem non videtur eſſe bene dictum, imò magis dicendum videtur ſimpliciter eſſe immortalem, & ſecundum quid immortalem, ſuperiore enim continent inferio-

ra, & non inferiora ſuperiora; dicimus enim corpora cœleſtia continere iſta generabilia & corruptibilia, & non è conuerſo: quare cum immortale ſit ſupra mortale magis dicendum eſt animam humanam ſimpliciter eſſe immortalem & ſecundum quid mortalem, cum immortale contineat mortale, quàm dicamus ipſam eſſe mortalem ſimpliciter & ſecundum quid immortalem, cum mortale non contineat immortale.

Secundum dubium, quoniam ſi anima eſt immortalis ſecundum quid tantum, vel igitur verè & propriè eſt immortalis, vel non verè & impropriè: non primum vt dictum eſt: neque ſecundum, quia ſi impropriè dicitur immortalis, non minus poſſet dici quæcunque alia res non ſit: nam & impropriè poſſet appellari canis vel lepus: Cur igitur magis dictum eſt quòd ſit immortalis quam canis vel lepus, cum immortale impropriè de ea dicatur.

Tertium dubium eſt, quoniam tota radix huius poſitionis innititur ei fundamento, ſcilicet quòd intellectus humanus non habet niſi vnum modum intelligendi, ſicut & ſenſus & intelligentiæ vnum modum cognoſcendi: modus autem ille eſt medius inter modum cognoſcendi abſtractorum ſimpliciter & animæ ſenſitiuæ, cum de vtroque participet, vt enim vniuerſaliter cognoſcit, conuenit cum

abſtractis, vt verò tale vniuerſale non ſpeculatur niſi in phantaſmate & ſingulari conuenit cum ſenſu, cum totaliter non cognoſcat ſine materiæ appenditiis: quare concludebatur medius inter materialia, verum hoc dubitationem facit, quoniam ſi talis dependentia cognitionis intellectus à phantaſmate eſt ſpeculari vniuerſale in ſingulari, tunc intellectus cognoſceret ſingulare, quod à multis negatum eſt: Dicunt enim aliqui ſingulare materiale per ſolum ſenſum cognoſci poſſe, vel dato quòd concedamus intellectum cognoſcere ſingulare, multis tamen videtur quod niſi reflexe cognoſci poteſt, vt 3. de anima tex. 10. videtur dicere Ariſtoteles, verum & hoc conceſſo, cum iſta reflexio non poteſt imaginari niſi quidam diſcurſus, vt ferè omnes interpretantur, qui diſcurſus non fit niſi in tempore, & poſt ſimplicium cognitionem: Ergo ante compoſitionem & diuiſionem, & conſequenter diſcurſum, ſpeculabitur vniuerſale & non in ſingulari: ergo poſitio falſo innititur fundamento.

In quo ad dubitationes iſtas reſpondetur.

CAPVT XII.

AD primam igitur dubitationem dicitur longè diſtare continere à participare: continere enim ſe habet per modum formæ, & contineri per modum materiæ, quare continens eſt perfectum & ſuper excellens, ipſum autem contentum eſt imperfectum & exceſſum; verùm è contrario eſt de participante & participato, participatum namque ſe habet per modum cauſæ & excedentis, participans verò per modum effectus & exceſſi, quare non conuenienter dicimus intellectum humanum continere diuina & immortalitatem, verũ è contra ſed rectè dicimus intellectum humanum participare de diuinitate & immortalitate, & non è contra, quare Ariſtoteles 1. de part. cap 10. non dixit, ſolus homo diuinitatem & immortalitatem continet, ſed dixit, ſolus homo diuinitatis & immortalitatis eſt particeps, vel maximè; quod verbum additum eſt, quia & cætera mortalia de diuinitate participant; nam in omnibus naturæ numen eſt, vt idem dicit Ariſtoteles ex Heracliti ſententia 1. de part. cap. vlt. Verùm cætera

mortalia non tantum ſicut homo : idem quoque repetit 4. de part. cap.9. quapropter ratio cogebat quod intellectus humanus immortalitatem non contineret, non autem quòd immortalitatem non participaret, quod pònimus, ſcias etiam quod ſicut aliquid verè mortale immortalitatis eſt particeps, imò omne productiuum ſibi ſimilis eſt ſic immortalitatis particeps, ſicut dicitur 2. de anima tex. 34 & 35. Ita aliquid immortale mortalitatis & caduci videtur particeps; Commentator enim 2. de cœlo com. & 49. reddens cauſam de macula lunæ dicit eſſe, quia luna eſt de natura terræ, citatque Ariſtotelem lib. de anim. verùm manifeſtiùs hoc dicit lib. de proprietatibus elementorum, ponit enim cætera elementa ab aliis erraticis participari, non igitur inconuenit & mortale immortali, & immortale mortali participare.

Ad ſecundam dubitationẽ dicitur quòd, etſi inter propriè & impropriè non datur medium, tamen per participationem proprietatum datur medium, ſicut licet inter ſubſtantiam & accidens non datur medium nihil enim eſt quod non ſit vel ſubſtantia vel accidens; tamen aliquid ponitur participare de proprietatibus vtriuſque, ſicut & moueri ſecundum partem ponitur medium inter moueri per ſe & moueri per accidens, vt dicitur 5. phyſ. quare animus humanus

etſi impropriè dicatur immortalis, quia verè mortalis eſt, participat tamen de proprietatibus immortalitatis, cum vniuerſale cognoſcat, tametſi eiuſmodi cognitio valde tenuis & obſcura ſit; non ſic autem eſt de cane & lepore quantum ad iſtam operationem: Quare obiectio ibi facta ceſſat: quod ſi dicatur nos multùm viliſicare intellectum humanum, cum ipſum vix vmbram intellectus affirmamus: hinc quidem dicitur, quòd verè comparando ipſum intelligentiis vmbra eſt: Quod etiam docet Ariſtoteles, & in erratis de anima & 2. metaph. Non enim verè appellatur intellectualis, ſed rationalis; intellectus enim ſimplex intuitu omnia intuetur: At ratiocinatio diſcurſu, compoſitione, & cum tempore, quæ omnia atteſtantur ſuper imperfectione & materialitate eius; ſunt enim hæ conditiones materiæ: Si vero ipſum humanum intellectum comparaueris ad cætera generabilia & corruptibilia primum gradum nobilitatis obtinebit, quamquam corpus imbecilliſſimum & ferè infinitis infirmitatibus obnoxium deteriorisque conditionis quàm ſint ferè omnes beſtiæ, vt optime Plinius lib 7. natur. hiſt. manifeſtat: Adde inſuper quòd homo, vel eſt ſubiectus, vel aliis dominatur; ſi ſubiectus eſt conſideret peſſimam ſuam ſortem, cum vix de mille millibus dominantibus vnus

medioctis virtutis reperiatur, imò quaſi ſemper in poteſtate conſtituti ſunt amentes, ignorantes, omnique vitiorum genere referri quàm dura autem ſit huiuſmodi ſors ſatis liquet, cum nullum genus animalium ſic ab aliquo ſuæ ſpeciei prematur: ſi verò aliis dominetur, quàm iniqua ſit tyrannis ſatis abundè & Plato de Repub. & Ariſtoteles in Polit. declarant, ponuntque longe deteriorem eſſe tyrannidis conditionem quàm ſubiectum quacumque ſubiectione: Quicunque igitur tantùm magnifacit hominem, non conſideret ea quæ non experitur, ſed ea quæ ſcit & ante oculos habet.

3 Ad tertiam autem dubitationem dicendum eſt quòd quidam grauiſſimi interpretes D. Thomæ exponentes articulum 7. quæſt. 84. primæ partis ſummæ, vbi de hac conuerſione tractat D. Thomas, dicunt ſingulare reflexe intelligi, & quòd huiuſmodi reflexio eſt quædam argutio, dicuntque quòd vniuerſale non cognoſcitur in aliquo ſingulari verùm in aliquo particulari, verbi cauſa quod homo non cognoſcitur in Socrate vel in Platone, ſed in aliquo homine: aliquis autem homo ad hominem ſe habet infra terminos primi modi dicendi per ſe, quamuis non ſit primò in tali modo, eſt tamen infra limites eius, ſicut ſe habent perfectum & imperfectum ad vnamquamque rem; neque

homo eſt prior aliquo homine, cum conuertatur ſubſiſtendi conſequentia, nam ſi homo eſt, eſt aliquis homo, & ſi aliquis homo eſt, homo eſt, quod eſſe non poteſt homo eſſet prior aliquo homine; hæc autem dicta apud me ſunt valde ambigua, & primò quidem quod homo cognoſcitur in aliquo homine, ſed non in Socrate, neque in aliquo ſingulari, iſtud quidem in primis videtur eſſe contra experimentum; quoniam quantumcunque immateriale vel vniuerſale cognoſcamus ſemper nobis formamus aliquod idolum in cogitatiua in quo illud ſpeculamur, vt & D. Thomas ibidem dicit, modò tamen idolum eſt quoddam ſingulare & ſingulariter repræſentans, ratioque ad illud tendit, nam vult probare nos intelligere per conuerſionem ad phantaſmata quod ſingi non poteſt niſi ſingulare; quoniam homo eſt in Socrate, & equus in hoc equo: etenim hæc ſunt eius verba, quare ex eo quod homo eſt in hoc phantaſmate, aliter enim probatio non eſſet conueniens: non enim ex eo quod eſt indifferenter in aliquo homine cognoſcit in hoc phantaſmate, & certe huius interpretis dictum litteræ cõtradicit, ſic enim ſtat littera, cognoſcit in aliquo Indiuiduo quod manifeſtat per verba ſubſequentia, ſequitur enim, natura humana eſt in hoc homine, & equina in hoc equo: Amplius difficillimum eſt

apud me intelligere illam argumentationem, cùm hoc quod mihi videtur multipliciter deficere: nam ex primo priorum omnis vera argumentatio habet aliquam propoſitionem vniuerſalem, quoniam ſingulare ex ſingulari infertur, vniuerſalis autem propoſitio inductione habetur, vt 1. & 2. poſt. patet: Inductio autem eſt ſingularium, vt ſatis notum eſt: quare in cognitione ſingularis præſupponitur ſingularis cognitio: Amplius ſi ad intellectionem Socratis indigemus illa obſcuriſſima arguitione quam ipſe dicit, tunc magnum tempus apponeretur ad cognoſcendum Socratem poſt hominis cognitionem, ego quoque fateor me intelligere Socratem eſſe hominem, nihilque de illa arguitione intelligo, puerique & idiotæ diſcurſu carentes neſcirēt hoc eſſe hominem & illud canem, cum arguitionem illam non habeant; Præterea aliquis homo ſecundùm ipſum non eſt ſingulare licet determinet hominem, ſed nihil videtur in aliquo homine eſſe determinatiuum hominis niſi illud ſyncategorema (aliquis) quod non videtur, cum in ſe plus habeat quàm homo & tamen determinans debet ſe habere in minus quàm determinatum; Præterea quod ipſe dicit hominem & aliquem hominem eſſe ſimul, quoniam mutuò ſe inferunt; verùm eodem argumento ſi omnia ſingularia contenta ſub homi-

Digitized by Google

ne accipiantur eodem modo ſub diſiunctione ſe inferent cum ſubſiſtendi conſequentia; nemini tamen dubium eſt quod homo ſecundum intellectum eſt prior ſingulari, quamuis non ſecundum rem, & de prima eſt ſermo; Porphyrius namque in communitatibus probat genus prius eſſe differentiis & ſpeciebus, quoniam ſublato genere nec ſunt ſpecies nec differentiæ, verùm ipſis ſublatis non aufertur genus, quod equidem intelligi nequit ſecundùm rem, ſed tantùm ſecundùm intellectum: Quare mihi dicendum videtur quod intelligit hominem in ſingulari indeterminatè tamen; quoniam etſi nunc intelligo hominem in Socrate, poſſum tamen & in Platone, & in quouis alio, dummodo ſit in aliquo ſingulari; ſicut omne corpus eſt in vno loco ſingulari, indeterminatè tamen, diciturque quòd ſimul tempore cognoſcit vniuerſale & ſingulare, licet prius natura vniuerſale, quamquam non deſint qui ſingulare prius intelligi affirmant, & vt exiſtimo nedum natura verùm & tempore, cum ponant vniuerſalis cognitionem per comparationem ſingularium haberi; verùm pro nunc cum prima opinione tranſeamus: Cumque dicebatur quod ſingulare nòn cognoſcitur niſi reflexè ex 3. de anima, quamuis Themiſtius & Auerroes ſic illa verba non interpretatur: verùm hoc nunc con-

ceſſo dicimus vere & proprie talem intellectionem eſſe reflectionem & conuerſionem ad phantaſmata, vt verbis D. Thomæ vtar quod apertum eſt videre, num. 8. de phyſico auditu in ea parte in qua oſtendit motus reflexos non continuari, definit motum reflexum eum eſſe qui in idem terminatur à quo incepit ; verùm cum anima humana per cogitatiuam cõprehendit ſingulare primò, deinde eadem per intellectum vniuerſale comprehendat quod tamen in eodem ſingulari ſpeculatur quod per phantaſiam cognitum eſt, vere reditum facit, & per conſequens conuerſionem, quoniam ex ſingulari per phantaſiam cognito, eadem anima per intellectum ad idem redit ; neque ſatis video quomodo ſyllogiſmus vel argumentatio reflexio vel conuerſio cõmode nuncupari poſſunt, cum non ex eodem in idem, verum ex diuerſo in diuerſum procedant, eademque ſpecie vtrumque comprehenditur, licet non æque primò : neque inconuenit plura ſimul intelligi dum per vnam ſpeciem intelligantur : magis autem hoc quàm illud ſingulare comprehendit, quoniam huius eſt phantaſma, non illius : etenim ex huius leonis inſpectione leonẽ & hunc leonẽ intelligo, non tamen magis leonẽ & hoc quã ex illo qui moratur in ſyluis : etenim ſi illum inſpicerem non minùs leonem intelligerem,

verùm hunc intelligo & non eum qui in ſyluis, quia huius & non illius phantaſma habeo, quare fundamentum ſtat.

CAPVT XIII.

In quo multæ arduæ difficultates mouentur aduerſus id quod dictum eſt.

VErùm aduerſus poſitionem hanc maiores difficultates inſurgunt, quibus quantum video ſatisfacere non leue eſt.

Primò, quia ſi anima humana eſt mortalis, quemadmodum concluſum eſt, tunc non dabitur vltimus finis hominis quâ homo eſt, & ſic non erit felicitabilis; ſed huius oppoſitum ponitur ab Ariſtotele 1. ethic: vt ſatis liquet. Eſt etiam contra commune dictum, vbi dicitùr quòd homo eſt animal felicitabile, cum ſit rationis capax: Quod etiam patet ex ſuo oppoſito, cum 2. phyſ. diffortunium ſeu infelicitas non cadit in beſtias, ſed tantum in rationalia: Ergo anima non eſt mortalis, Omnia patent excepta conditionali quæ eſt maior propoſitio, ſcilicet quòd ſi eſſet mortalis non eſſet vltimus finis hominis quà hominis, quæ ſic probatur, quoniam ſi quis eſſet vltimus finis

alis cum in parte vegetatiua & ſenſitiua neque in bonis corporis vel fortunæ poni poſſit, vt ſatis ſtrictè Ariſtoteles 1. ethic. demonſtrat, & Boetius copioſe 2. & 3. de conſolatione, & D. Thomas lib. 3. contra Gentiles: Ergo in bonis animi ſeu eius virtutibus poneretur eius felicitas: Verùm cum virtutes animi diuidãtur in morales & intellectuales, & in moralibus felicitas poni non poſſit, vt citati viri lucide oſtendunt, reſtat quód intellectualibus: Diuiſis autem intellectualibus in ſuas partes, vt 6. ethic. patet, in nulla videtur rationabiliter poni poſſe felicitas, præterquã in habitu ſapientiæ, quæ præcipue de Deo contemplatur, ſicut plana videtur Ariſtotelis ſententia 10. ethic. ſed & hoc ex multis rationibus refellitur: Primo quidem, quoniam talis cognitio exigit hominem valde excellentis ingenij, & præter hoc totaliter abdicatum à rebus mundanis, bonæ naturæ, ſcilicet ſanæ & non indigentem neceſſariis: verùm tales rariſſimi eſſe poſſunt, etiam in longis ſæculis vix vnus reperitur, quod docet quotidiana experientia, & hiſtoræ declarant: hoc autem repugnat rationi felicitatis, quia eſt bonum conueniens cuilibet homini non orbato, cum quilibet homo naturaliter eam deſideret: Amplius quoniam talis cognitio valde debilis eſt: & multum incerta, cum magis ſit

verùm hunc intelligo & non eum qui in ſyluis, quia huius & non illius phantaſma habeo, quare fundamentum ſtat.

CAPVT XIII.

In quo multæ arduæ difficultates mouentur aduerſus id quod dictum eſt.

VErùm aduerſus poſitionem hanc maiores difficultates inſurgunt, quibus quantum video ſatisfacere non leue eſt.

Primò, quia ſi anima humana eſt mortalis, quemadmodum concluſum eſt, tunc non dabitur vltimus finis hominis quâ homo eſt, & ſic non erit felicitabilis; ſed huius oppoſitum ponitur ab Ariſtotele 1. ethic: vt ſatis liquet. Eſt etiam contra commune dictum, vbi dicitùr quòd homo eſt animal felicitabile, cum ſit rationis capax: Quod etiam patet ex ſuo oppoſito, cum 2. phyſ. diſfortunium ſeu infelicitas non cadit in beſtias, ſed tantum in rationalia: Ergo anima non eſt mortalis, Omnia patent excepta conditionali quæ eſt maior propoſitio, ſcilicet quòd ſi eſſet mortalis non eſſet vltimus finis hominis quà hominis, quæ ſic probatur, quoniam ſi quis eſſet vltimus finis talis

talis cum in parte vegetatiua & ſenſitiua neque in bonis corporis vel fortunæ poni poſſit, vt ſatis ſtrictè Ariſtoteles 1. ethic. demonſtrat, & Boetius copioſe 2. & 3. de conſolatione, & D. Thomas lib. 3. contra Gentiles: Ergo in bonis animi ſeu eius virtutibus poneretur eius felicitas: Verùm cum virtutes animi diuidãtur in morales & intellectuales, & in moralibus felicitas poni non poſſit, vt citati viri lucide oſtendunt, reſtat quód intellectualibus: Diuiſis autem intellectualibus in ſuas partes, vt 6. ethic. patet, in nulla videtur rationabiliter poni poſſe felicitas, præterquã in habitu ſapientiæ, quæ præcipue de Deo contemplatur, ſicut plana videtur Ariſtotelis ſententia 10. ethic. ſéd & hoc ex multis rationibus refellitur: Primo quidem, quoniam talis cognitio exigit hominem valde excellentis ingenij, & præter hoc totaliter abdicatum à rebus mundanis, bonæ naturæ, ſcilicet ſanæ & non indigentem neceſſariis: verùm tales rariſſimi eſſe poſſunt, etiam in longis ſæculis vix vnus reperitur, quod docet quotidiana experientia, & hiſtoræ declarant: hoc autem repugnat rationi felicitatis, quia eſt bonum conueniens cuilibet homini non orbato, cum quilibet homo naturaliter eam deſideret: Amplius quoniam talis cognitio valde debilis eſt: & multum incerta, cum magis ſit

opinatiua, quàm ſcientifica, quod declarant diuerſæ opiniones: cum vix duo in talibus reperiantur conſentientes, noſterque modus intelligendi idem demonſtrat, qui eſt per ſenſus, & talia remotiſſima ſunt à ſenſibus: quo fit vt magis ignorantia quàm cognitio, & ſuſpicio quàm certitudo debeat appellari: quis autem hanc ponet eſſe felicitatem cum in felicitate quieſcimus, in hac vero titubamus & non quieſcimus? Inſuper felicitas rationem habet termini, hæc verò tota eſt in via cum nullus tantùm ſcit quantum ſcire poteſt, imò quantò magis ſcit tantò magis ſcire deſiderat: Præterea ad iſtam capeſſendam, quot artes, quot ſcientiæ, quot labores, quot vigiliæ ſunt requiſitæ: quare cum vix vita ſufficiat pro vna arte capeſſenda, quomodo ad talem finem peruenire poterit? Cùmque quis intuebitur quàm incertus ſit de vita ſua, de viribus ſuis, de euentibus potentibus eum impedire & tollere eum de medio, quomodo tantum & tam difficile iter aggreditur? Amplius cùm tempus generationis talis felicitatis ſit maximum, viaque perueniendi difficillima, oportet enim hominem ſe quaſi totum abdicare à corpore, cùm ſit in corpore, & dubius eſt de euentu: & etiam poſtquam peruenerit, in momento eam amittere, vel moriendo, vel ex aliquo alio caſu, quomodo igitur iſta

non veriùs nuncupabitur infelicitas quam felicitas? Quare non irrationabiliter multi dixerunt ſi anima humana mortalis eſt longè deteriorem eſſe conditionem hominis quàm beſtiæ cuiuſuis, inſpectâ hominis imbecillitate quantùm ad corpus, quod tot infirmitatibus eſt ſubiectum, & animi inquietudine, qui ſemper huc atque illuc vertitur.

Secundò quia ſtante animi humani mortalitate, homo in nullo caſu quantumcunque vrgentiſſimo deberet eligere mortem: & ſic remoueretur fortitudo quæ præcipit contemnere mortem, & quòd pro patria & bono publico debemus mortem eligere, neque pro amico deberemus exponere animam noſtram, imò quodcunque ſcelus & nefas perpetrare magíſque mortem ſubire, quòd eſt contra Ariſtotelem 3. ethic. & 9. eiuſdem: & contra naturam, cuius ſignum eſt quod naturaliter odimus iſta facientes etiam pro eorum vita tuenda, eoſque vituperamus, naturaliter autem contraria facientes amamus & laudamus. Quòd autem hoc ſequatur ſatis patet, quia electio habet rationem proprii boni, modo mors totum bonum deſtruit, nihilque in ea eſt eligibilis: quod etiam patet ex Platone in Phædone, vbi teſtatur mortem æquo animò non eſſe ferendam niſi ſpes eſſet de meliori vita: dicit quoque 5. de legibus, qui hanc

vitam ſummum bonum cenſet eam dedecorat. D. ſ. Thomas etiam ethic. quaſi dubitat quomodo ponentes animam eſſe mortalem poſſunt eligere mortem, & in expoſitione ſymboli Apoſtolorum dicit ſuper parte illa (carnis reſurrectionem) quòd proculdubio niſi eſſet ſpes reſurrectionis quodcunque flagitium eſſet potiùs perpetrandum quàm moriendum.

Tertiò, quia ſequitur aut Deum non eſſe gubernatorem Vniuerſi aut iniquum, quorum vtrumque ſcelus eſt: nam ſi non omnia gubernaret non eſſet Deus, & ſi Deus, ſummum bonum, cum nihil potentialitatis habeat, & ſi ſummum bonum, quomodo in eo iniquitas? Hoc autem apertum eſt videre, quia tot mala in hoc mundo fiunt quæ ignota hominibus ſunt, & ſi nota impunita reliquuntur, imò ſæpe pro malo maxima bona reportant: è contra de bonis qui vel non cognoſcuntur vel ſi cognoſcuntur remanent ſine præmio, & multoties mortem & damna ſuſtinent; hæc autem vel non cognoſcit Deus, vel ſi cognoſcit, & ſic impunita vel ſine præmio relinquat, ſicut dicit Hieronymus Deus non eſt.

Quartò, quia omnes leges tam quæ fuerunt quàm quæ ſunt, ponunt animam poſt corpus remanere, & ſic hoc eſt maximum famoſum & in toto orbe celebra-

tum: quare vel opportet dicere animam eſſe immortalem, vel quod totus mundus decipitur, famoſúmque ex toto eſſet falſum, quod tamen Philoſophus in de ſomno & vigilia negat.

Quintò, quia multa ſunt experimenta per quæ euidenter comprehendi poteſt eius immortalitas: Plato namque in Phædone refert, quod circa monumenta viſa ſunt phantaſmata vmbroſa animarum, & hæc ſunt animæ malorum hominum: dicit etiam 9. de legibus occiſorum animas ſæpe interfectores hoſtiliter inſequi, propter quod aliqui exiſtimauerunt ad præſentiam interfectoris vulnera ſanguinem emittere: refert quoque 10. de Repub. quendam Pamphilum à mortuis reſurrexiſſe qui de pœnis & malorum cruciatibus horrenda referebat: Plinius quoque iunior narrat Athenis infamem fuiſſe domum in qua & ſimulacrum horridi ſenis aſpiciebatur, & ſtrepitus audiebatur, atque Athenodorum Tharſenſem philoſophum ſimulachrum illud vidiſſe conducta domo, eóque duce comperiſſe in area domus ſub terra oſſa incerta catenis, & ſicut mos erat ſepeliſſe, domum deinde illam à ſtrepitu liberatam: refertque Poſſidonius Stoicus quod duo quidem Arcades familiares cum Megaram veniſſent, alter ad hoſpitium, qui vt cœnati quieuerunt, nocte viſus eſt in ſomnis

ei qui erat in hoſpitio ille alter orare vt ſubueniret quod ſibi à caupone interitus pararetur , hic primo territus ſumno ſurrexit , deinde cum ſe collegiſſet , idque viſum pro nihilo habendum duxiſſet recubuit, tum ei dormienti ille idem viſus eſt rogare vt quoniam ſibi viuo non ſubueniſſet, mortem ſuam ſaltem ne inultam eſſe pareretur, ſe interfectum à caupone in plauſtrum eſſe coniectum , & ſupra ſtercus iniectum petere vt mane adeſſet ad portam priuſquam plauſtrum ex oppido exiret, hoc ergo ſomnio commotus , mane bubulco præſto ad portam affuit, quæſiuit quid eſſet in plauſtro , ille perterritus fugit, mortuus erutus eſt, caupo re patefacta pœnas dedit. Simonides quoque cum ignotum quendam proiectum mortuum vidiſſet eùmque humaſſet , haberetque in animo nauem conſcendere, moueri viſus eſt ne id faceret ab eo quem ſepultura affecerat , ſi nauigaſſet naufragio periturum, redijt Simonides, cæteri naufragium fecerunt : infinitaque huiuſmodi adduci poſſent: Teſtor ego quoque me multa per ſomnia habuiſſe, quæ quaſi conſilia ſunt, quare animas defunctorum eſſe aperte hæc videntur declarare.

Sexto, quia multa leguntur, & experientia ſentiuntur, quod quidam à dæmonibus vexantur, qui & præterita & futura prænuntiant, referuntque ſe eſſe animas

aliquorum defunctorum: experimenta autem negare eſt impudentiæ & veſaniæ.

Septimò, quia & Ariſtoteles videtur ponere animas immortales, tum quia 1. Ethic. dicit pro nepotum infortunia aliquid facere ad animas defunctorum, tum quia ponit eas præmiari poſt mortem, nam lib. 2. œconom. cap. 2. ſermonem faciens de Alceſte & Penelope dicit quod factæ in malis fideles ſibi præparauerunt gloriam immortalem, & iuſtè à viris honoratæ ſunt, neque à Diis ſunt immeritæ.

Octauò, quia omnes huius ſententiæ ſectatores fuerunt & ſunt viri impiiſſimi & ſceleſtiſſimi ſicut Epicurus ignauus, flagitioſus Ariſtipp9, inſanus Lucreti9, Diagoras dict9 Athenis Epicure9, beſtialiſſim9 Sardanapalus, & omnes quorum conſcientia premitur à flagitioſis criminibus: At contra viri ſancti & iuſti quorum immaculata eſt conſcientia aſſeuerentur eam immortalem pronuntiant: Quare Plato epiſt ad Dionyſium quæ incipit, Audiui ex Archedemo, vbi ſic dicit, fit enim natura quadam vt ignauiſſimi homines nihil curent quæ ſit de ipſis futura opinio, probatiſſimi autem viri cuncta faciunt quò in futuris ſæculis bene de ſe loquentes homines audiant: quam ego coniecturam facio eſſe aliquem ſenſum his, qui mortui ſunt rerum noſtrarum, quoniam optimi animi

ſic fortè diuinant, deterrimi nequaquam: validiora verò ſunt diuinorum virorum præſagia quàm aliorum.

In quo ad obiecta reſpondetur.

CAPVT XIV.

ARduum quippe & oneroſum mihi videtur his argumentationibus ſatiſfacere, & eò præſertim, quoniam famoſum eſt animam poſt mortem remanere, & vt 2. metaph. ſcribitur, difficile eſt contra conſuetudinem loqui, verùm quantum dabitur facultas in materia, ſaltem probabiliter dicere conabimur.

Pro reſponſione igitur ad primum, ſciendum eſt quod vnaquæque res ſaltem perfecta habet aliquem finem, cumque finis boni rationem obtineat vt dicitur 2. Metaph. non tamen quod eſt magis bonum det vnicuique rei pro fine aſſignari, ſed ſolùm ſecundùm quod conuenit illi naturæ & ei proportionatur: nam etſi ſentire melius eſt quàm non ſentire, non tamen lapidi conuenit ſentire neque eſſet bonum lapidi, ſic enim non amplius eſſet lapis, quare aſſignando finem homini ſi talem qualem Deo & intelligentiis aſſignaremus non conueniens foret aſſigna-

rio, quandoquidem ſic non eſſet homo: Secundò accipiendum eſt & maximè memoriæ mandandum, quod totum genus humanum vni ſingulari homini comparari poteſt, in vno autem indiuiduo humano ſunt multiplicia & diuerſa membra, quæ & ad diuerſa officia ſiue diuerſos fines proximos ſunt ordinata, cum hoc tamen quòd omnia ad vnum finem deputata ſunt quare omnia illa in aliquibus debent communicari; quòd ſi ordo iſte præuaricaretur, aut homo non eſſet, aut incommodè omnia verò membra ordinantur in communem vtilitatem ipſius hominis; & aut vnum eſt neceſſarium altero, & è contrà, aut ſaltem vtile; licet aliquando & illud magis, illud verò minus; vnde cor neceſſarium eſt cerebro, & cerebrum cordi, córque neceſſarium eſt manui, manus verò vtilis cordi: & dextera vtilis ſiniſtræ, & ſiniſtra dextræ, omniaque membra communicant in vita & naturali calore, indigentque ſpiritu & ſanguine, ſicut ex libro de animalibus apertum eſt videre: vltráque hæc in quibus communicant ſingulum membrum ſingulare habet officium, cor enim vnum, cerebrum alterum, hepar aliud, & ſic de reliquis, vt eodem lib. de anim. declarat Ariſtoteles, verùm copioſiùs Galenus libro de vtilitate particularum: hæc autem officia ſiue opera non ſunt æqualia, verùm

vnum prius, & alterum poſterius, vnum perfectius, & alterum imperfectius; nã ſecundùm Ariſtotelem cum cor ſit nobiliſſimum & primum, ideo officium eius eſt nobiliſſimum & primum, & ſic de reliquis diſcurrendo; & quantumcumque cerebrum verbi cauſa non ſit ita perfectum ſicut cor, in ſuo tamen genere poteſt eſſe perfectum: quare ſicut omnia membra inter ſe habent latitudinem & diuerſitatem, ita vnumquodque genus membri, infra tamen certos terminos; etenim neque omnia corda ſunt æquè magna vel conſimiliter calida, & ſic de reſiduis membris illud quoq; obſeruandum eſt quod quantumcumque inter iſta membra ſit tanta diuerſitas non tamen ea & talis vt diſcordiã pariat, ſed debet eſſe commenſurata diuerſitas; quod ſi vltra modum fiat, aut perditio indiuidui, aut ægritudo conſequitur; ſi etiam nõ eſſet illa commenſurata diuerſitas, indiuiduum minimè conſtare poſſet; etenim ſi omnia membra eſſent aut cor, aut oculus, animal non eſſet, veluti in ſymphoniis & concentibus ſi omnes voces eſſent vnius ordinis non cauſaretur concentus & delectatio, taliterque diſpoſita ſunt vt neque vniuerſum indiuiduum, neque aliqua eius pars meliori modo poteſt eſſe diſpoſita quàm ſit, ſicut Plato in Timæo dixit quòd Deus dedit vnicuique

quod optimum ſibi & vniuerſo; Eodem itaque pacto cenſendum eſt de toto genere humano; vniuerſum namque humanum genus eſt ſicut vnum corpus ex diuerſis membris conſtitutum quæ & diuerſa habent officia, in communem tamen vtilitatem generis humani ordinata, vnumque tribuit alteri, & ab eodem cui tribuit recipit, reciprocaque habent opera: neque omnia poſſunt eſſe æqualis perfectionis, ſed quibuſdam data ſunt perfectiora; hæcque inæqualitas ſi tolleretur, aut genus humanum periret, aut non incommodè conſtaret: habent tamen aliqua in quibus omnia aut ferè omnia communicant, ſecus enim non eſſent partes vnius generis, & ad vnum commune bonum tendentia, ſicut de vnius ſingularis hominis membris dicebatur; Neque inæqualitas inter homines, commenſurata tamen, debet diſcordiam parere; imò ſicut in ſymphonia vocum commenſurata diuerſitas concentum delectabilem facit; ſic commenſurata diuerſitas inter homines perfectum, pulchrum decorum, & delectabilem generat: incommenſurata verò contrarium: his igitur ſic digeſtis, dicamus quòd omnes homines ad huiuſmodi finem communem conſequendum debent in tribus intellectibus communicare, ſcilicet ſpeculatiuo, practico, & factiuo: nullus enim homo eſt non orbatus, & in ætate debita conſti-

tutus, qui aliquid horum trium intelle-ctuum non habeat; veluti nullum eſt membrum quod ſanguine & calore naturali non participat: vnuſquiſque etenim homo habet aliquid de ſpeculatione, & fortè in vnaquaque ſcientia ſpeculatiua, quia ſaltem principia quæ vt 2. metaph. dicitur ſunt ſicuti ianuæ domus, quas nullus ignorat, quis enim eſt qui prima principia ignoret; veluti de quolibet dicitur eſſe vel non eſſe, non contingit idem ſimul eſſe & non eſſe, quis omnino Dei ignatus, entis, vnius, veri, boni; & ſic de reliquis, quod nimis oneroſum eſſet percurrere, hæc autem ad Metaphyſicam pertinent: De naturali quoque manifeſtum eſt, cum iſta ſubiaceant ſenſibus quæ primo intellectui occurrunt; in ellathematica quoque illud clarum eſt videre, cum ſine numeris & figuris vita humana duci non poſſit, omneſque homines, horas, dies, menſes, & annos cognoſcunt, multàque alia quæ ſunt Aſtronomici negotij, non minùſque niſi cæcus ſit aliquid de viſionibus cognoſcit, quod eſt opus Perſpectiuæ, niſique ſurdus ſit de concentibus quod ad Muſicam ſpectat, quid dicam autem de Rhethorica & Dialectica? quando quidem Ariſtoteles in proemio Rhetoricæ dicat, propter quod & modo quodam omnes participant am-

babus : De intellectu autem operatiuo qui eſt circa mores, reſpublicas, & res domeſticas illud quidem apertiſſimum eſt, cum vnicuique datum ſit bonum & malum cognoſcere, eſſe partem ciuitatis & familiæ, etenim huiuſmodi intellectus verè & proprie humanus nuncupatur, vt Plato in de Republica & Ariſtoteles in Ethicis teſtantur : de factiuo autem intellectu illud in propatulo eſt, quandoquidem nullus homo ſine hoc vitam degere poteſt : etenim ſine mechanicis & neceſſarijs ad vitam homo non poteſt durare, verùm ſcire oportet quod tametſi vnuſquiſque homo de tribus enumeratis intellectibus ex toto non priuetur, non tamen homo æqualiter ſe habet ad hos: Nam ſpeculatiuus intellectus non eſt hominis, ſed Deorum vt tradit Ariſtoteles 10. Ethic. & Plato in Timæo, maximum donum Deorum eſt Philoſophia; quare nullo pacto in hoc homo cum cæteris mortalibus communicat ; Ideo etſi homines omnes aliquid huius habent, exactè tamen & perfectè pauciſſimi & habent & habere poſſunt, propter quod contingit quod ea pars generis humani quæ ſe totam ſpeculationi tradit, eam proportionem tenet in genere hominum quàm cor in genere membrorum, quamquam & latitudo modorum ſit vt quidam mathematici, quidam phiſici, quidam medici

quidam verò methaphyſici ſint, interque omnes iſtos modos eſt latitudo, ſicut ſatis liquet: intellectus autem factiuus qui infimus & mechanicus eſt omnibus quidem hominibus eſt communis, imò & beſtiæ hoc participant, vt docet Ariſtoteles li. de hiſt. animal cum multæ beſtiæ cauſas conſtruant, multàque alia quæ intellectum factiuum prætendunt, hìcque maxime neceſſarius eſt, adeo vt maior pars hominum circa hunc detenta ſit; quare fœmineus ſexus fere ex toto huic incombit, vt texere, filare, ſuere, &c. maximáque hominum pars agriculturæ vacat, deinde diuerſis artificijs, neque qui vni incumbit, alteri artificio commodè incumbere poteſt, quapropter Plato in de Repub. & Ariſtoteles in Polit. iuſſerunt vt quemadmodum vnum membrum commode non exercet diuerſa officia, ſic nec vnus artifex diuerſis artifex diuerſis artificijs vacare debet, neutrum enim cònſequetur, operatiuus autem intellectus, vere conuenit homini & vnuſquiſque homo non orbatus perfecte eum conſequi poteſt, & ſecundùm eum ſimpliciter & abſolute homo dicitur bonus & malus: ſecundùm verò ſpeculatiuum & factiuum niſi ſecundùm quid, & cum determinatione: ſecundùm namque virtutes & vitia homo, dicitur bonús homo, & malus homo: at

bonus methaphyſicus non bonus homo dicitur, ſed bonus metaphyſicus: bonuſque domificator non bonus abſolute, ſed bonus domificator nuncupatur: qua propter homo non indigne fert, ſi non metaphyſicus, phyſicus, vel faber appellatur: at ſi fur, intemperatus, iniuſtus, imprudens, vel aliquid huiuſmodi vitioſum dicatur, maxime indignatur & excandeſcit, tanquam eſſe ſtudioſum vel vitioſum humanum ſit, & in noſtra poteſtate repoſitum: At eſſe Philoſophum, vel domificatorem non noſtrum eſt neque homini neceſſarium; Quo fit vt omnes homines poſſint & debeant eſſe bene morigerati, non autem omnes philoſophi, mathematici, domitificatores, &c. neque enim conſtaret genus humanum niſi eſſet tanta diuerſitas, ſicut ſupra de membris dictum eſt: Redeuntes igitur ad propoſitum dicimus quòd finis generis humani in vniuerſali eſt participare de illis tribus intellectibus, ſecundùm quos etiam homines inter ſe communicant & viuunt, & vnus alteri aut eſt vtilis aut neceſſarius, ſicut omnia membra in vno homine communicant in ſpiritu vitali, & habent operationes mutuas inter ſe; & ab hoc fine homo abſolui non poteſt: verùm quantum ad intellectũ practicum qui proprie hominis eſt, quilibet homo perfecte debet habere: Ad hoc enim vt genus huma-

num recte conſeruetur, quilibet homo debet eſſe virtuoſus moraliter, & quantum poſſibile eſt carere vitio, ſibique imputatum eſt vitium tanquam ſuum in quocunque ſtatu reperiatur, ſiue egenus, ſiue pauper, ſiue diues, ſiue mediocris, ſiue opulentus: De alijs autem intellectibus non eſt neceſſarium, imò neque poſſibile, neque conuenit generi humano: non enim conſtaret mundus ſi quilibet eſſet ſpeculatiuus, imò neque ipſe, cum impoſſibile ſit vnum genus hominum vtpote phyſicum ſibi eſſe ſufficiens, neque eſſe tantùm domificatorum genus, vel aliquid huiuſmodi, neque fieri poteſt vt vnũ perfecte exerceat opera alterius, nedum omnium ſicut contingit in membris, quare vniuerſalis finis generis humani eſt ſecundum quid de ſpeculatiuo & factiuo participare, perfecte autem de practico, vniuerſum enim perfectiſſime conſeruaretur ſi omnes homines eſſent ſtudioſi & optimi, ſed non ſi omnes eſſent philoſophi, vel fabri, vel domificatores, neque ita eſt in virtutibus moralibus ſicut in artibus & ſcientiis, quòd vna impediat aliam, & incumbere vni impediat incumbere alteri: verum vt dicitur in ethicis, virtutes morales ſunt connexæ, & qui perfecte habet vnam habet omnes, quare omnes debent eſſe ſtudioſi & boni, eſſe verò philoſophum, mathematicum, architectum ſunt fines partiales, ſicut ce-

rebrum habet proprium officium, & hepar ſuum, neque iſta inæqualitas in genere humano debet parere inuidiam & lites inter ea, ſicut neque diuerſitas in membris, imò vnionem & pacem, maxime cum quilibet debet eſſe moralis à quo talia relegata ſunt, & ſicut vnumquodque elementum ſecundum totum categorice eſt debite ſituatum, aliqua tamen pars ipſius melius quàm alia, non enim quælibet pars ignis tangit ſphæram lunæ, niſi vt toti coniuncta eſt, neque quęlibet pars terræ eſt centrum mundi, niſi ratione totius, ita non quilibet habet vltimum finem qui conuenit parti niſi vt pars generis humani, ſufficit autem habere communem finem humanum, quapropter ad rationē dicitur quod ſi homo mortalis eſt, quilibet homo poteſt habere finē qui vniuerſaliter cōuenit homini, qui tamen cōpetit parti perfectiſſimæ nō poteſt neq; cōuenit, ſicut non quodlibet mēbrum poteſt habere pefectionē cordis & oculi, imò non conſtaret animali ſic ſi in quolibet homo eſſet ſpeculatiuus, non conſtaret communitas humana; quare & plura climata, & diuerſæ regiones ſunt neceſſariæ; felicitas igitur non ſtat in habitu ſpeculatiuo per demonſtrationem, tanquam conueniens vniuerſaliter generi humano, ſed tanquam primæ parti principali eius; & quantumcumque cæteræ partes ad talem felicitatem

peruenire non poſſint, non tamen ex toto priuantur felicitate, cum aliquid ſpeculatiui, & aliquid factiui habere poſſint, perfectéque practici, qui habitus quaſi vnumquemque beatificare poteſt Agricola, enim vel faber, egenus, vel diues, ſi moralis ſit, felix nuncupari poteſt, & vere nuncupatur, ſortéque ſua contentus abit; cum hoc quod etiam præter felicitatem moralem poteſt appellari felix agricola, vel felix domificator, ſi feliciter in agricultura operetur, vel in conſtruenda domo: licet non tam propriè propter hoc felix nuncupetur; hæc enim non ſunt in poteſtate humana, ſicut virtutes & vitia; non igitur genus humanum à ſuo fine fruſtratur, niſi ſeipſum talem faciat; & quod vlterius addebatur, quoniam talis ſpeculatio non videtur poſſe facere hominem felicem cum ſit valde debilis & obſcura; huic dicitur quod tametſi in ordine ad æterna huiuſmodi ſit, & ad eam quæ intelligentiarum, tamen inter res morales nihil excellentius haberi poteſt, ſicut Plato in Timæo dixit; neque mortalis immortalem felicitatem appetere debet, quoniam immortale mortalì non conuenit, ſicut ira immortalis non conuenit homini mortali, vt 2. rhetor. dicit Ariſtoteles; quare primo ſuppoſuimus quòd vnicuique rei proportionatus finis aſſignetur; ſi enim homo ſit temperatus non impoſſibilia appetet, neque ſi conueniunt, talem enim ha-

bere felicitatem eſt proprium Deorum qui nullo modo à materia & tranſmutatione dependent; Cuius oppoſitum contingit in humano genere quod eſt medium inter mortalia; & cum vlteriùs dicebatur quia finis debet quietare, hoc autem hominis intellectum & voluntatem non quietare hinc dicitur quod Ariſtoteles in fine 1. ethic non ponit felicitatem humanam tanquam perfectè quietantem, imò ponis quod quantuncunque homo ſit felix non tamen tam ſtabilis eſt quin multa perturbent ipsũ, non enim eſſet homo, verùm non remouent à felicitate, ſicut non quiuis ventus euelit arborem, licet moueat folia: quare in humana felicitate ſufficit ſtabilitas non remouibilis, licet aliqualiter conturbabilis, imò quod plus eſt & in quacunque ætate: in iuuenili enim ſi exactam non habet cognitionem quæ in virili congruit, dummodo habeat iuuenili congruentem contentus eſt pro illa ætate, neque ampliùs appetit quàm ſibi conueniat, quare neque anguſtiabitur vt dicebatur: & cum vlteriùs procedebatur quod nunquam tanta ſcit quanta ſcire poteſt, nec tam clarè quin clariùs: dico quod hoc non tollit felicitatem eius, dummodò tantum habeat quantum ſibi pro illo ſtatu conuenit, & ex parte ſui non deficiat: Nam temperati appetitus eſt tantum appetere quantum diligere poteſt: ita temperati, eſt contentari eo quod ſibi conuenit

& habere poteſt : & cum vlteriùs adiunge-batur cum homo ſciat ſe citò amiſſurum ſcientiam, & quod multis modis auferri poteſt, magis ſibi erit miſeria quàm felicitas : hinc dicitur quod illiberalis hominis eſt non velle reſtituere quod gratis accepit, cum homo præſupponitur mortalis : Nam & purgatoriam antiqui appellauerunt, cum ea lege receperit vt ſciat naturæ conceſſuram, gratias Deo & naturæ aget, ſemperque erit paratus mori neque mortem timebit, cũ vanus ſit timor de ineuitabilibus, nihilque mali conſpiciat in morte : Cumque vlterius inferebatur quod hominis conditio longe peior eſſet quocunque bruto : certe mea ſententia hoc non eſt philoſophicè dictum, cum opera beſtialia quantumcumque quieta in ſuo genere ſupponantur inquieta in genere intellectualium, quis mallet eſſe lapidem vel ceruum longæ vitæ quàm hominem quantuncumque vilem ? cum hoc quod vir prudens in quolibet ſtatu & temptore poteſt ferre animum quietum, quamuis à tribulationibus corporeis vexaretur, imò vir ſapiens magis eligeret ſe eſſe in extrema neceſſitate, & in maximis tribulationibus quàm eſſe inſipientem, ignauum, & vitioſum in diſpoſitione contraria; neque verum eſt quòd videns immenſos labores, abdicationem à voluptatibus corporalibus, obſcuram agnitionem de rebus, facilem amiſſionem acquiſitorum, magis de-

clinaret ad vitia & corporalia quàm moueretur ad acquirendam ſcientiam, ſi vir iſte ſecundùm rationem operatur; nam quæcumque modicula particula ſcientiæ & virtutis præponenda eſt omnibus delectationibus corporalibus, imò & regnis ipſis in quibus ſuperabundant tyrannides & vitia: Quare primum argumentum non videtur conuincere animam eſſe immortalem.

Ad ſecundum in quo inferebatur quòd poſita mortalitate animæ, tunc nunquam debeamus eligere mortem; huic dicitur minimè illud ſequi, verum magis oppoſitum, nam 3. Topic. dicitur de duobus malis minus eſt eligendum, & 3. ethic. electio eſt bonorum, renuere autem malorum: Cum igitur in eligendo mortem pro patria, pro amicis, pro vitio euitando maxima virtus acquiratur, aliiſque multùm proſit, cum naturaliter homines huiuſmodi actum laudent, nihilque pretioſius & felicius ipſa virtute, ideo hoc maxime eligendum eſt: At ſcelus perpetrando communitati maximè nocet, quare & ſibi, cum ipſe pars communitatis ſit, vitiumque incurrit, quo nihil infelicius, cum deſinat eſſe homo, vt Plato pluribus locis in de republica dicit: ideoque hoc habet rationem fugibilis: Ad adeptionem etiam illius virtutis ſequitur felicitas, vel magna pars felicitatis, etſi parùm duratura: At ad peccatum illud ſequi-

tur miſeria : nam teſte Platone vitium miſeria eſt, & tandem mors, cum propter commiſſum ſcelus non ſequatur immortalitas, niſi fortè ſecundùm infamiam & vituperium : ſed manifeſtum eſt minus malum eſſe primum quàm ſecundum, neque magnum tempus viuere cum infamia eſt præponendum viuere tempore paruo cum laude, ſicut vita hominis quantuncunque breuis eſt præponenda vitæ beſtiæ quantumcunque diuturnæ : nam Ariſtoteles 1. ethic. dicit vitam longæuam non præferendam eſſe vitæ breui, niſi cætera ſint paria : neque per ſe in tali caſu mors eligitur, cum nihil ſit, verùm actus ſtudioſus, licet ad eum ſequatur mors : ſicut non committendo vitium, non renuitur vita, cum in ſe ſit bona, ſed vitium renuitur, ad cuius perpetrationem ſequitur vita : Quòd vero dicitur de dicto in Phedone, Plato in de republica & Critone ponit, quod ſicut vita cum infirmitate incurabili eſt renuenda, imo è viuis auferenda, ſic anima cum peccato extirpanda eſt, animaque ſi æterno viueret in peccato ſumma miſeria eſt, quandoquidem ipſi animæ nihil deterius eſt ipſo vitio : verùm illud dixit Plato quantum ad id quod de facto contingeret, ſi enim homines non ſperarent meliorem vitam poſt mortem, iniquiſſimo animo ſine dubio eam tolerarent, quia ignorant excellentiam virtutis & ignobilitatem vitij : ſoli enim Philoſophi &

ſtudioſi, vt dicit Plato in de republica, & Ariſtoteles 6. ethic. ſciunt quantam dele. ctationem generent virtutes, & quantam miſeriam ignorantia & vitia: imo Socrates in Apologia quam Plato ſcripſit dicit, ſiue animus mortalis ſit, ſiue immortalis, nihilominus contemnenda eſt mors: neque aliquo pacto declinandum eſt à virtute quicquid accidat poſt mortem: eodem quoque modo exiſtimo interpretanda eſſe dicta D. Thomæ ſuper Symbolo Apoſtolorum: non quod ſcelera ſint potius committẽda quam mors ſubeunda, ſi anima eſſet mortalis, illud namque neque ſapienter, neque theologicè dici cenſeo: ſed quod homines non cognoſcentes excellentiam virtutis & fœditatem vitij, omne ſcelus perpetrarent priuſquam mori, quare ad refrænandum diras hominum cupiditates data eſt ſpes præmij, & timor punitionis: quod etiam ſuppoſita animorum mortalitate in aliquo caſu ſubeunda ſit mors, manifeſtant multæ operationes beſtiarum, in quibus non eſt dubium animas mortales eſſe, atque inſtinctu naturæ duci: refert namque Ariſtoteles 6: de hiſt. cap. 30. quod Virgilius noſter 4. Georg. commemorat, apes pro ſui ducis tutela & reipublicæ morti ſe exponere, ſcribitque ibidem marem pro vxore tuenda mortem ſubire, refertque eodem lib. 9. de hiſt. cap. 37. camelum morſu defixo camelarium interemiſſe, quod ipſũ dolo cum

matre coire compuliſſet, equumque eodem modo deceptum idem ſcelus perpetraſſe, at vbi rem cognouit ſe præcipitem intereміſſe. hæc autem cum natura fiant, ſecundum rationem facta ſunt, quandoquidem ex Themiſtij & Auerrois ſententia, natura dirigitur ab intelligentia non errante, non ergo & in homine hoc eſt contra rationem

Ad tertium, cum inferebatur aut Deum non eſſe vniuerſorum gubernatorem, aut iniquum; huic dicitur neutrum ſequi, diciturque nullum malum eſſe eſſentialiter impunitum, neque bonum eſſentialiter irremuneratum eſſe: Pro quo ſciendum eſt, quod præmium & pœna duplex eſt, quoddam eſſentiale & inſeparabile, quoddam vero accidentale & ſeparabile; præmium eſſentiale virtutis eſt ipſamet virtus quæ hominem felicem facit, nihil enim maius natura humana habere poteſt ipſa virtute, quandoquidem ipſa ſola hominem ſecurum facit & remotum ab omni perturbatione; omnia namque in ſtudioſo conſonant, nihil timens, nihil ſperans, ſed in proſperis & aduerſis vniformiter ſe habens, ſicut dicitur in fine 1. Ethic & Platone in Critone dixit, viro bono neque viuo neque defuncto poteſt aliquod malum contingere: Ad oppoſitum modo de vitio, pœna namque vitioſi eſt ipſum vitium, quo nihil miſerius, nihil infelicius eſſe

poteſt

poteſt; quod autem peruerſa ſit vita vitioſi, & maxime fugienda manifeſtat Ariſtoteles 7. ethic. vbi oſtendit quod vitioſo omnia diſſonant, nemini fidus, neque vigilans, neque dormiens quieſcit, diris corporis & animi cruciatibus anguſtiatur vita infeliciſſima, adeo quod nullus ſapiens quantuncunque egenus, corpore infirmus, à bonis fortunæ deſtitutus eligeret vitam tyranni, vel alicuius potentis vitioſi, malletque ſapiens in ſua diſpoſitione permanere; itaque omnis virtuoſus virtute ſua & felicitate præmiatur: Quare Ariſtoteles 30. particula problematum problemate 10. quo quærit cur in certaminibus apponuntur præmia, at non in virtutibus & ſcientiis: Dicit hoc ideo contingere, quoniam virtus ipſa eſt ſibi præmium; nam cum præmium debeat eſſe præſtantius certamine, nihilque prudentia poteſt eſſe præſtantius, ſibi ipſi præmium eſt: At contrarium de vitio contingit, ideo nullus vitioſus impunitus relinquitur, quandoquidem vitium ipſum ſibi vitioſo ſit pœna, præmium autem vel pœna accidentales ſunt quæ ſeparari poſſunt, vt aurum vel damna qualiacunque ſint, & ſic non omne bonum remuneratum eſt, & omne malum punitum, neque hoc inconuenit, cum accidentalia ſunt: Scire tamen oportet hîc duo: primum quòd accidentale præmium longe minus eſt pœna eſſentiali, pœna namque accidentalis eſt

pœna damni, eſſentialis vero pœna culpæ, at pœna culpæ longè minor eſt pœna eſſentiali, pœna namque accidentalis eſt pœna damni, eſſentialis vero pœna culpæ, at pœna culpæ longe deterior eſt pœna damni: quare nihil refert ſi quandoque eſſentiale relinquatur dummodo eſſentiale remaneat: Secundo adhuc ſciendum & quod quando bonum accidentaliter præmiatur bonum eſſentiale videtur diminui, neque remanet in ſua perfectione, exempli cauſa aliquis virtuoſe operatur ſine ſpe præmij, alter vero cũ ſpe præmij, actus ſecundi non ita virtuoſus habetur ſicut primi; quare magis eſſentialiter præmiatur eo qui non accidentaliter præmiatur eo qui accidentaliter præmiatur: eodem quoque modo qui vitiosè operatur, & accidentaliter punitur, minùs videtur puniri eo qui accidentaliter non punitur: nam pœna culpæ maior & deterior eſt pœna damni, & cum pœna damni adiungitur culpæ diminuit culpam: quare non punitus accidentaliter, magis punitur eſſentialiter eo qui accidẽtaliter punitur: teſtatur etiã ſuper hoc quod ſcribit Laërtius de Ariſtotele, cum enim interrogaretur Ariſtoteles quid ex Philoſophia acquiſiuiſſet, reſpondit, quod vos ſpe præmiorum facitis, & timore pœnæ fugitis, ego ex amore & nobilitate virtutis facio, & ex vitij vituperio fugio; cur autem aliqui

præmiantur, vel puniuntur accidentaliter, aliqui vero non, non eſt præſentis propoſiti.

Ad quartum, in quo dicebatur quod fere totum vniuerſum eſſet deceptum, cum omnes leges ponant animam immortalem eſſe: Ad quod dicitur quod ſi totum nihil ſit quàm ſuæ partes, veluti multi exiſtimant, cum nullus ſit homo qui non decipiatur, vt dicit Plato in de Republica, non eſt peccatum illud concedere, imo neceſſe eſt concedere, aut quod totus mundus decipitur, aut ſaltem maior pars: ſuppoſito quod ſint tantùm tres leges, ſcilicet Chriſti, Moyſis, & Mahumethi: Aut igitur omnes ſunt falſæ, & ſic totus mundus eſt deceptus, aut ſaltem duæ earum, & ſic maior pars eſt decepta: veruntamen ſcire oportet, quod vt dicunt Plato & Ariſtoteles, politicus eſt medicus animorum, propoſitumque politici eſt facere hominem magis ſtudioſum quàm ſcientem: modo ſecundùm diuerſitatem hominum diuerſis ingeniis incedendum eſt ad hunc finem conſequendum: Aliqui enim ſunt homines ingenui, & bene inſtitutæ naturæ, adeo quod ad virtutem inducuntur ex ſola virtutis nobilitate, & à vitio retrahuntur ex ſola eius fœditate, & hi optime diſpoſiti ſunt, licet perpauci ſunt: Aliqui vero ſunt minus bene diſpoſiti, & hi præter nobilitatem virtutis, & fœditatem vitij, ex premiis, laudibus, & honoribus, ex pœnis, vitupe-

riis, & infamia ſtudioſa operantur, & vitia fugiunt, & hi in ſecundo gradu ſunt: Aliqui vero propter ſpem alicuius boni, & timorem pœnæ corporalis ſtudioſi efficiuntur: quare vt talem virtutem conſequantur ſtatuunt politici vel aurum, vel dignitatem, vel aliquid tale; vt vitia vero fugiant, ſtatuunt vel in pecunia, vel in honore, vel in corpore, ſeu mutilando membrum, ſeu occidendo puniri; quidam vero ex ferocitate & peruerſitate naturæ nullo horum mouentur, vt quotidiana docet experientia; ideo poſuerunt virtuoſis in alia vita præmia æterna, vitioſis vero æterna damna quæ maximè terrerent, maiorque pars hominum ſi bonum operatur, magis ex metu æterni damni quàm ſpe æterni boni operatur bonum, cum damna ſint magis nobis cognita quàm illa bona æterna, & quoniam hoc vltimum ingenium omnibus hominibus poteſt prodeſſe cuiuſcunque gradus ſint, reſpiciens legiſlator pronitatem viarum ad malum, intendens communi bono, ſanxit animam eſſe immortalem, non curans de veritate, ſed tantùm de probitate, vt inducat homines ad virtutem; neque accuſandus eſt politicus, ſicut namque medicus multa fingit, vt ægro ſanitatem reſtituat; ſic Politicus Apologos format, vt ciues rectificet; verùm in his Apologis, vt dicit Auerroes in prologo 3. Phyſ. proprie neque eſt veritas, neque falſitas: ſic etiam nutri-

ces inducunt alumnos ſuos ad ea quæ pueris prodeſſe cognoſcunt, quod ſi vir ſanus eſſet, vel compos mentis, talibus figmentis neque medicus neque nutrix indigerent; quapropter ſi omnes homines eſſent in illo primo gradu enumerato, ſtante etiã animorum mortalitate ſtudioſi fierent, ſed quaſi nulli ſunt illius diſpoſitionis: quare aliis ingeniis incedere neceſſe fuit, neque hoc inconuenit, cum humana natura ferè tota ſit immerſa materiæ; parumque intellectus participet: vnde magis diſtat homo ab intelligentiis, quàm æger à ſano, puer à viro, inſipiens à ſapiente, non itaque mirum eſt ſi talibus vtatur politicus.

In quinto autem principali duo tangebantur: vnum de his quæ viſa ſunt in ſepulchris, alterum verò de ſomniis: Ad horum igitur primum dicitur primò quod multa inter hiſtorias connumerantur quæ tamen meræ fabulæ ſunt: Dicitur ſecundo quod in locis ſepulchrorum, vt in pluribus, aër eſt valde craſſus, tum ex euaporatione cadauerum, tum ex frigiditate lapidum, ex multiſque aliis, quæ aëris ſpiſſitudinem inducunt: verum vt 3. meteor. cap. de Iride dicitur, talis aër faciliter recipit idola rerum circunſtantium, ſicut ſpeculum recipit figuras; quare viſa in aëre ſic diſpoſito à rudibus hominibus exiſtimantur eſſe res quæ ibi videntur, ſicut pueri aſpicientes in ſpeculo vel in aqua, credunt ea quæ in eis vi-

dentur vere eſſe ibi. Refert námque Ariſtoteles de quodam debilis viſus aſpiciente in nocte ſuam vmbram, ipſum exiſtimaſſe eſſe virum inſequentem ipſum, quo fit vt rudes homines propter tale accidens exiſtiment illa eſſe animas defunctorum: Adiuuat etiam ad hæc imaginatio & vniuerſalis fama: quare vt refert Ariſtoteles in ſecundo capite de ſomno & vigilia, multa ab exiſtentibus in timore & aliis paſſionibus, eſto quod vigilent, exiſtimantur videri quæ tamen non ſunt, ſicut contingit ægrotantibus: Tertiò dicitur hoc multoties contingere propter illuſiones & dolos malorum Sacerdotum, vt legitur Danielis vltimo de Idolo Bel: multi enim Sacerdotes & Templorum cuſtodes quatuor virtutes Cardinales commutauerunt in ambitionem, auaritiam, gulam, & luxuriam, & ad hæc vitia omnia alia conſequuntur, quare vt optatis perfruantur, his fraudibus & fictionibus vtuntur, ſicut tempeſtate noſtra aliquando contigiſſe ſcimus: Quarto dicitur quod cum multæ Græcorum & Romanorum hiſtoriæ mirabilia referant: in ortu namque & occaſu virorum memoria dignorum portenta apparuiſſe certiſſimum eſt. Suetonius enim Tranquillus in libro de duodecim Cæſaribus magna ſigna & per aues, & Deorum reſponſa, & multa alia narrat; non minùs Plutarchus in libro de vitis illuſtrium virorum: Virgilius quoque noſter in fine 1. Georg hæc cecinit.

Digitized by Google

Tempore quanquam illo tellus quoque, & æquora ponti,
Obſcœnique canes, importunæque volucres,
Signa dabant, quoties cyclopem efferuere in agros
Vidimus vndantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumque globos, liquefactaque voluere ſaxa,
Armorum ſonitum toto Germania cœlo
Audijt inſolitis tremuerunt motibus Alpes,
Vox quoque per lucos vulgò exaudita ſilentes
Ingens, & ſimulachra modis pallentia miris
Viſa ſub obſcurum noctis, pecudeſque locutæ
Infandum ſiſtunt amnes, terræque dehiſcunt,
Et mœſtum illachrymat templis ebur, æraque ſudant.

Non minùs multa Lucanus commemorat. Machabæorum quoque ſecundo cap. 5. ſic ſcribitur: Eodem tempore Antiochus ſecundam profectionem parauit in Ægyptum, contigit autem per vniuerſalem Hieroſolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aera equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtas quaſi cohortes armatas, & curſus equorum per ordinem digeſtos, & congreſſiones fieri comminùs, & ſcutorum motus, & galeatorum multitudinem gladijs diſtrictis, & telorum iactus, & aureo-

rum morum ſplendorem, omneiſque generis loricarum: quapropter omnes rogabant in bonum monſtra conuerti, quare priores reſponſiones plene euacuare non videntur, talia autem negare videtur eſſe magnæ pertinaciæ, & impudentiæ, quapropter aliter dicendum eſt: Conceſſo igitur quod non ſint fictiones, aut illuſiones, aut noſtræ imaginationes, dicendum eſt quod Chriſtiani, & quaſi vniuerſaliter omnes leges, & Plato, & Auicenna, & multi alij, ponunt hæc fieri vel à Deo, vel per ſuos miniſtros, quos Angelos appellamus, ſi boni ſint, ſi mali dæmones; verum eſt quòd aliqua differentia eſt inter eos de qua nunc non eſt cura, iſtique ſimpliciter concedunt animam humanam eſſe immortalem, & multiplicatam vt ſatis notum eſt, verùm hoc manifeſte repugnat dictis Ariſtotelis, cum nulla ſit immaterialis ſubſtantia quæ orbem non moueat: namque 12. metaph. ſecundùm numerum orbium ponit numerum intelligentiarum, neque eſt aliquis effectus hic inferior qui non reducatur ſecundùm eum in primum motum, vt patet 8. phyſ. & 1. meteor. Amplius quia euidenti ratione naturali hoc videre meo monſtrari non poteſt: quare non ſtabimus infra limites naturales, quod tamen polliciti ſumus à principio; ideo Alexander Aphrodiſeus, vt refert D.

Thomas in quæſtione diſputata de miraculis art. 3. & 10. in corpore quæſtionis dixit hæc prouenire à ſubſtantijs ſeparatis mediantibus corporibus cœleſtibus, ſecundùm virtutes ſtellarum, ſecundum coniunctiones & oppoſitiones earum: & verè ſi iſtis effectus conceduntur ſecundùm Peripateticos, aliter dici non poteſt, cum mundus totus hic inferior illi ſuperiori ſit contiguus, vt inde omnis virtus gubernetur, ſicut dicitur in principio meteororum: illud quoque non irrationabiliter videtur dictum: Etenim Alexander tenet Deum & intelligentias habere prouidentiam de iſtis inferioribus, quemadmodum ex eius ſententia notat D. Thomas in expoſitione 56. tex. 2. de cœlo: Et hoc expreſsè Alexander ipſe confitetur in libro de fato, quare pro temporum & locorum conditionibus iſtis inferioribus prouidet, & de regibus, & Prophetis, atque de alijs euentibus: Quod igitur talia apparuerunt aliquando, vt dictum eſt libro Machabæorum, deſignabat bella futura ſicut exitus denotàuit, licet fortaſſis & illa euitari ſecundùm Alexandrum poterant, cum ponat in libro de fato voluntatem liberam: neque mirandum eſt ſi talia à corporibus cœleſtibus figurari poſſunt, cum animata ſint nobiliſſima anima, quæque omnia inferiora generent & gubernent: Conſi-

mile dicatur de his quæ Titus Liuius, Suetonius, Virgilius, Plutarchus, & Lucanus referunt: Nam ſi præcedunt ſigna veris, æſtatis, & aliorum temporum, vt manifeſtum eſt, quantò magis illæ intelligentiæ debent eſſe ſollicitæ de natura humana: quod quidem clariſſimum eſt videre, non enim memini me legiſſe vitam alicuius viri in quacunque re, niſi in ortu & occaſu multa præceſſerint, imò in multis ſuis actibus: quodque Platonici genium ſiue dæmonem familiarem appellant, apud Peripateticos eſt eius genitura, quia talis natus eſt cum tali conſtellatione, ille verò cum alia, ſi ſine illa multiplicatione dæmonum & geniorum ſaluare poſſumus ſuperuacuum videtur illa ponere: cum hoc quod illa etiam rationi non conſonant: corpora ergo cœleſtia ſecundùm ſuas virtutes hæc miranda producunt pro mortalium vtilitate, & maximè hominum, cum Diuinitatis humana natura ſit particeps; refert enim Ariſtoteles 3. de hiſt. cap. 20. quod in Lemno inſula ex capri mammis quas geminas iuxta genitale gerebat tantùm lactis emulexerunt vt coloſtra inde conficerent, cùmque dominus pecoris oraculum conſuleret, reſponſum habuiſſe amplius incrementum peculij futurum, quod ſic fore compertum eſt: Si itaque de pecoribus portenta dant, quantò magis de ho-

minibus; verùm D. Thomas pluribus ſubtilibus rationibus hanc opinonem impugnat; Primò quia hæc inordinatè fiunt, quæ verò à natura fiunt 2. & 8. phyſ. ordinate fiunt: Secundò quia aliqui fiunt effectus in huiuſmodi apparitionibus, qui non poſſunt reduci in corpus cœleſte, vt locutiones & præſertim futurorum, cum iſta non poſſint fieri niſi ab habente intellectum, talia autem multoties ſunt inanimata, aut intellectu carentia, vt quod beſtia loquatur, vel in aere voces humanæ ſentiantur, vel aliquid tale: Tertiò quia quædam fiunt quæ virtute corporum cœleſtium fieri non poſſunt, vt quod virgæ in ſerpentes vertantur, quare nulla videtur reſponſio: verùm mihi hæc concluſionem probare non videntur: Ad primum nàmque dicitur quod imo talia ordinatè fiunt, & quoad tempora, & quoad loca, & per cauſas determinatas, quia multi Aſtrologi ſciunt iſta prædicere: Et de prodigijs futuris, de ſtatuum mutationibus, & in locis determinatis, ſicut viſum eſt multoties, quod autem nobis videantur indeterminata, hoc ex noſtra ignorantia prouenit: De ſecundo tam à D. Thoma magnificato nolo dicere quod miror, ſed quod ego non rectè intelligo, huiuſmodi enim effectus & locutiones ſecundùm ipſum fiunt ab intelligentijs quandoque bonis, quandoque malis, &

Digitized by Google

permiſſione diuina quandoque ab animabus humanis iam à corpore ſeparatis: verùm omnia talia non ſunt tunc formæ illorum corporum ſiue animatorum quæ ſentiuntur ſic loqui, ſunt ergo tantùm motores; quare igitur intelligentiæ mouentes corpora cœleſtia hoc facere non poſſunt; cum ſuis inſtrumentis, quæ tot ac tanta, faciunt pſittacos, picas, coruos, merulas, &c. loqui: non video cur tam apertè ipſe hæc negat; præſertim quoniã ſecundùm ipſum quæſt. 51. primæ part. ſummæ ponit Angelum ſiue alium ſonum facere per corpus aëreum condenſatum & figuratum: modo corpora cœleſtia per ſuas virtutes & coniunctiones ſtellarum hæc & multo maiora faciunt, quia & animalia faciunt, & ſtupenda, vt patet in lapidibus & herbis, quare & hæc; & confirmatur quoniam Conciliator in expoſitione 26. problematis vndecimæ particulæ problema eſt, cur aliqui cum ſtatim naſcuntur locuntur dicit, Haly Eberangel de natiuitatibus hæc ſcribit, rex noſter vocauit nos, eo quod vna ex mulieribus ſuis peperit filium, & fuit aſcendens 8. graduum libræ, terminus Mercurij, & in ipſo fuerunt Iupiter, Venus, Mars, & Mercurius, & conuenit illic vna ſocietas Aſtrologorum, quorum quilibet dixit ſuam opinionem, & ego tacui, tunc rex dixit mihi quid habes; cur non loqueris;

Cui reſpondi, date mihi terminum trium dierum, quia ſi filius veſter tranſierit tertium diem erit de eo miraculum magnum, & cum natus compleuit 24. horas incœpit loqui, & facere ſigna cum manu, & rex multùm expaueſcit, vnde & ego dixi, poſſibile eſt quod dicat aliquam Prophetiam, & aliquod miraculum, & tunc cum rege fuimus ad puerum, & dixit puer; Ego ſum natus infortunatus, & natus ſum ad indicandam amiſſionem regni Agedeir, & deſtructionem gentis Almanni, hic ſtatim cecidit & mortuus eſt, & compertum eſt vt dixit; modò iſte puer vel locutus eſt per ſpiritum, vel ex ſe: non primum quia Haly per Aſtrologiam neſciuiſſet prædicere quæ dixit: Ergo ex ſe ideſt ab intrinſeco, & non per cognitionem quam habuit ab aliquo homine: Ergo ex virtute intelligentiarum, & corporum cœleſtium, quare & in alijs ſic poteſt contingere: Quod ſi dicatur, omnis doctrina vel diſciplina fit ex præexiſtente cognitione, huic dicitur quòd iſta non eſt doctrina, vel diſciplina, neque cognitio propriè: Cuius ſignum eſſe poteſt, quod iſti vates cum ſunt extra furorem nihil recordantur, imò negant ſe illa dixiſſe, ſed ab impetu cœleſti mouentur, quare Plato in Menone, & in pleriſque alijs locis dicit, vates quamplurima vera nuntiant, nihil tamen eorum quæ lo-

quuntur intelligunt, & lib. 30. problematum problemate 1. Sibillæ, & Bacchæ, & omnes qui diuino ſpiraculo inſtigari creduntur, impetu inducuntur: Conciliatorque ibi in expoſitione dicit: Ego audiui à fideli medico quod mulier quędam illiterata, dum eſſet melancholica Latinum loquebatur congruum, qua ſanate euanuit, quod eſſe non videtur niſi ex diſpoſitione corporis cum motu aſtrorum: Ad tertium vero dicitur quod Peripatetici dicerent illas eſſe illuſiones, ſicut multi faciunt per alterationem aut medij, aut oculi, aut ſi fuit verum, non ſumus in terminis, quia ſecludimus miracula: Quod autem vlteriùs adiungebatur de ſomniis, nos illa maiora concedimus, Auerroës enim qui non ponit animas multiplicari in capite de diuinatione ſomniorum illud abundè concedit, & Galenus qui animam putauit mortalem, imò multa in medicina habita ſunt per ſomnia, verùm hæc non arguunt animam immortalem ſimpliciter, ſed Deos curare inferiora; quare & per ſigna in vigilia, & per ſomnia multa docent & prouident rebus humanis, ſicut abundè ibi dicit Auerroës; quod autem dicitur de illis Arcadibus non eſt mirum, cum Plato 5. de repub. dicat, delinquentium in peregrinos Deus eſt vltor: quod autem de Pamphilo adducitur, ille Apologus eſt ad retrahendum ciues: Cur autem autem ali-

qui relinquuntur impuniti vel remunerati, aliqui verò è contrario, non eſt præſentis conſiderationis, & multa pulchra & difficilia ibi tangit Commentator, quæ non ſunt pro noſtra intentione.

Ad ſextum verò de Dæmoniacis poteſt per hæc quæ dicta ſunt reſponſio patere: Nam omnes tales, aut atra bili vexantur, aut extaſim patiuntur, aut morti proximi, alienique ab humanis cogitationibus: quo fit vt quaſi inanimati & irrationabiles fiāt, propter quod motus cœleſtes recipere poſſunt, magiſque aguntur & ducuntur ab impetu lymphatico, quàm agant vel ducant: Cuius euidentiſſimum ſignum eſt, quoniam vt dicit Plato, & Ariſtoteles conſentit, non intelligunt quæ dicunt: verùm veluti beſtiæ ab alio mouentur, vnde in prouerbio eſt pueros & ſtultos prophetiſſare, at ſapiētes & ſui compotes ab huiuſmodi alienos eſſe, neque de hoc aliquis mirari debet, quandoquidem Ariſtoteles 9. de hiſt. cap. 31. ſic ſcribit tempore quo apud Pharſala hoſpites Mediæ perieræ, corui locis Athenarum Peloponenſique defuerunt, quaſi ſenſum haberent aliquem quo inter ſe rerum euenta ſignificarent & mouerentur, ſi enim corui talia futura ex cœlo ſenſerunt, cur non & homines parùm à coruis diſtantes, cum minimè habeant de intellectu: conſideret igitur ſic obiiciens beſtias à quibus & augures ſu-

munt ſua præſagia: quod verò augurandi ars non ſit penitus vana, Græcorum & Romanorum declarant hiſtoriæ: inſtituitque Plato lib. de legibus, in ciuitate rectè ordinata augurandi artem non eſſe prætermittendam: Ariſtoteles quoque 1. de hiſt. cap. 16 & 9 eiuſdem cap 1. nonnulla commemorat de arte augurandi: Quod ſi aues, multaque ratione carentia indicare poſſunt ex cœleſtium impreſſione, cur non & homines illis ſimiles: quod etiam firmatur, quoniam aliter Aſtrologi tam certè iudicare non poſſent, ſicuti viſum eſt niſi virtutes cœleſtes in hæc inferiora imprimerent: quod ſi aliquando mentiri videntur, hoc eſt quoniam vel imperiti ſunt, vel non rectè genituram acceperunt, vel ex libero arbitrio dominante cœleſtibus illud contingit.

Ad ſeptimum verò dicitur quod minimè Ariſtoteles ſenſit animam poſt mortem remanere, verùm oppoſitum: & ad illud 1. Ethic. ſatis patet cum dicat neque prodeſſe, neque nocere eis: cum nihil ſint, ſed tantùm exiſtimationi quæ de eis habetur, quale eſſe Homerus in mente habet, tale eſſe enim & mortui habent: Ad illud 2. œconom. dicitur quod vel à Diis mulieres illæ meritæ ſunt in vita, non enim ibi dicitur poſt mortẽ vel ſi poſt mortẽ intelligitur hoc quãtum ad exiſtimationem quæ

habetur de eis, vel vt inducat alias mulieres ad conſimilia opera.

Ad octauum vero & vltimum in quo dicebatur viros impuros, & flagitioſos, ſuorumque ſcelerum conſcios, aſſerere animas mortales, & ſanctos iuſtos mortales; Ad hoc dicitur quod neque vniuerſaliter viri impuri ponunt mortalitatem, neque vniuerſaliter temperati immortalitatem: Nam manifeſtè videmus multos prauos homines credere, verùm ex paſſionibus ſeduci, multos etiam viros ſanctos & iuſtos ſcimus mortalitatem animarum poſuiſſe; Plato namque 1. de repub. dicit Simonidem Poëtam virum diuinum & optimum fuiſſe, qui tamen eam mortalem aſſeuerat: Homerus quoque vt Ariſtoteles 2. de anima refert, exiſtimauit ſenſum ab intellectu non differre: quæ autem fuerit Homeri dignitas quis ignorat? Hippoc. quoque & Galen. viri doctiſſimi & optimi huius perhibentur opinionis; Alexander Aphrodiſæus, magnus Alfarabius, Abubacher, Auempace, ex noſtratibus quoque Plinius Secundus, Seneca, innumerique alij hoc ſenſere; Seneca namque lib. 7. Epiſtolarum ad Lucilium epiſt. 54. quæ incipit, longum mihi comitatum dederat mala valetudo, manifeſtiúſque in de conſolatione ad Matiriam affirmat ipſam eſſe mortalem: multoſque alios ſtudioſos & viros doctiſſimos connumerat

eiuſdem opinionis fuiſſe; Et hoc ideo quoniam ſolam virtutev exiſtimauerunt eſſe felicitatem, vitiumm erò miſeriam, cæteraque alia bona neglexerunt, niſi quantùm virtuti deſeruiunt, quæque virtuti obſtant à ſeipſis eiecerunt; exiſtimandumque eſt multos viros ſenſiſſe animam mortalem, qui tamen ſcripſerunt ipſam eſſe immortalem; ſed hoc feciſſe ex pronitate virorum ad malum, qui parùm, aut nihil habent de intellectu, bonaque animi non cognoſcentes, nec amantes, tantùm corporalibus incumbunt: Quare huiuſmodi ingeniis neceſſe eſt eos ſanare, ſicut & medicus ad ægrum, & nutrix ad puerum ratione carentem ſe habent; per hæc (vt puto) & alia ſolui poſſunt: nam quod communiter dicitur, ſi anima eſt mortalis, homo deberet totum ſe tradere voluptatibus corporalibus, omnia mala committere ad ſui vtilitatem, vanumque eſſet Deum colere, diuina honorare, preces ad Deum fundere, ſacrificia facere, cæteraque huius generis, ſatis reſponſio patet per ea quæ dicta ſunt; nam cum naturaliter felicitas appetatur, & miſeria fugiatur, & per dicta felicitas conſiſtat in actu virtuoſo, miſeria vero in actu vitioſo, cum ex tota mente Deum colere, diuina honorare, fundere ad Deum preces, ſacrificare, ſint actus maximè virtuoſi, ideo debemus totis viribus inniti ad acquiſitionem iſto-

rum; è contrà verò furta, rapinæ, homicidia ſunt vitia quæ faciunt tranſire hominem in beſtiam, ideo ab iis abſtinere debemus, & animaduertas quòd ſtudiosè operans, & non expectans præmium aliud à virtute, longè virtuoſius & magis ingenuè videtùr operari quàm ille qui vltra virtutem præmium aliquod expectat, quique fugit vitium ob turpitudinem vitij, non ob formidinem pœnæ debitæ pro vitio magis laudãdus videtur, quàm qui euitat vitium propter timorem pœnæ, iuxta illud, oderunt peccare boni virtutis amore, oderunt peccare mali formidine pœnæ: Quare perfectius aſſerentes animam mortalem melius videntur ſaluare rationem virtutis quàm aſſerentes ipſam immortalem, ſpes nàmque præmij, & pœnę timor, videntur ſeruilitatem quandam importare, quæ rationi virtutis contrariatur.

Pro complemento huius opinionis ſciendum eſt, quòd quemadmodum docet Ariſtoteles in libris de gener. anim. natura gradatim procedit & ordinatè, ita quod non coniungit immediatè extremum extremo, ſed extremum medio, videmus, enim inter herbas & arbores mediare virgulta, inter vegetabilia & animalia eſſe animata immobilia, vt oſtrea, & cætera eius generis, & ſic vlteriùs aſcendendo, quod & beatus Dionyſius cap. 7.

de diuinis nominibus inſinuat cum dicit quòd diuina ſapientia coniungit fines ſuperiorum principiis inferiorum, homo autem vt dictum eſt perfectiſſimum eſt animalium, quare cum inter materialia anima humana primum obtineat locum, coniungetur ergo cum immaterialibus mediaque eſt inter materialia & immaterialia, medium verò comparatum extremis dicitur alterum extremorum, quare immaterialibus comparata poteſt dici materialis, & reſpectu materialium immaterialis, neque tantùm iſtas denominationes meretur, verùm & de proprietatibus extremorum participat; nam viride comparatum albo non ſolùm dicitur nigrum, verum & congregat viſum ſicut & nigrũ, licet non tam intensè, quare & anima humana habet de proprietatibus intelligentiarum, & habet de proprietatibus omnium materialium, quo fit vt quando exercet opera cum quibus conuenit cum intelligentiis, dicatur diuina & tranſmutari in Deo, quando verò exercet opera beſtiarum dicitur tranſmutari in beſtias, nam ex malitia dicitur ſerpens vel vulpes, ex crudelitate tigris &c. nihil enim eſt in mundo quod ex aliqua proprietate non poſſit conuenire ipſi homini: quapropter non immeritò homo dictus eſt Microcoſmus ſeu paruus mundus: grande igitur miraculum quidam dixerunt eſſe hominem, cum totus mundus ſit, & in vnam-

quamque naturam vertibilis, cum ſibi data eſt poteſtas ſequi quamcunque proprietatem rerum maluerit: Rectè igitur apologiſauerunt Antiqui cum dixerunt aliquos homines eſſe factos Deos, aliquos leones, aliquos lupos, aliquos aquilas, aliquos piſces, aliquos plantas, aliquos ſaxa &c cũ aliqui homines inſecuti sũt intellectum, aliqui ſensũ, aliqui vires vegetatiuæ &c. Quicumque ergo præponunt voluptates corporales virtutibus moralibus; ſiue intellectiuis, magis faciunt beſtiam quàm Deum, qui diuitias magis aurum, quare illi beſtiæ, iſti inſẽſati appellãdi ſũt nõ igitur exiſtẽte anima mortali virtutes ſũt ſpernẽdæ & voluptates proſequẽdæ niſi malit aliquis eſſe beſtia quàm homo, & inſenſatus quã ſenſatus ſeu cognoſcens: Scire tamẽ oportet quòd quantumcũque homo ſic de materiali & immateriali participet, tamen propriè dicitur immateriali participare, quia multum deficit ab immaterialitate, ſed non proprie dicitur brutis & vegetabilib⁹ participare, verùm ea cõtinere, nam infra immaterialia eſt & ſupra materialia quapropter non poteſt ad perfectionem immaterialium deuenire, vnde neque dij appellati ſunt, ſed diui vel diuini; verùm nedum poteſt æquare ſe homo beſtiæ, imò beſtiam ſuperare, nam quidam homines longe crudeliores quacunque beſtia exiſtunt, dicente Ariſtotele 7. ethic. malus homo decies millies pe-

ior eſt beſtia, & ſicut dictum eſt de crudelitate, ita dicatur de reliquis vitijs : Cum itaque tam fœdum ſit vitium, tam iniqua ſit hominis vitioſi vita , è contra verò de virtute, quis igitur exiſtente etiam anima mortali magis eligeret vitium quàm virtutem, niſi mallet eſſe beſtia ſeu deterior beſtia quàm homo, quare &c.

In quo ponitur vltima concluſio in hac materia, quæ ſententia mea videtur indubie ſuſtinenda.

CAPVT XV.

HIs itaque ſic ſe habentibus, mihi (ſalua ſaniori ſententia) in hac materia dicendum videtur, quòd quæſtio de immortalitate animæ eſt neutrum problema, ſicut etiam de mundi æternitate : mihi nàmque videtur quòd nullæ rationes naturales adduci poſſunt cogentes animam eſſe immortalem, minuſque probantes animam eſſe mortalem , ſicut quamplures Doctores tenentes eam immortalem declarant ; Quare nolui ponere reſponſiones ad alteram partem, cum alij ponant: Et præcipue D. Thomas , luculenter, copiose & grauiter; quapropter dicemus ſicut Plato

1. de Legibus certificare de aliquo cum multi ambigunt ſolius eſt Dei ,cum itaque tam illuſtres viri inter ſe ambigant , niſi per Deum hoc certificari poſſe exiſtimo : non videtur autem eſſe decens, neque expediens hominem tali certitudine carere , ſi enim in hoc ambigeret incertas & ſine fine aliquo actiones haberet , quandoquidem fine ignoto, & quæ ad ipſum finem ſunt, ignota eſſe neceſſe eſt , vnde ſi anima eſt immortalis, terrena deſpicienda ſunt , & æterna proſequenda : At ſi mortalis exiſtat, contrarius modus proſequendus eſt , quod ſi alia ab homine ſuos fines determinatos habent , quantò magis homo ipſe , cum homo perfectiſſimus mortalium ſit , ſoluſque vt Plato in de Republica dicit , Deum colat , & iuſtitiam , quapropter dico quod ante donum vel aduentum gratiæ , multifariam per Prophetas , & bona ſupernaturalia hanc quæſtionem Deus terminauit, vt manifeſtè per vetus Teſtamentum eſt videre, nouiſſime autem per Filium , quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula eam quæſtionem dilucidauit ſicut ſcribit Apoſtolus epiſt. ad Hebræos: Quod autem ille ſit vere Dei Filius , verus Deus , & verus homo , apertiſſime & ſine dubio lumen Chriſtiani nominis D. Thomas in primo contra Gentiles cap. 6. declarat , quæ Ioannes Scotus omnium ſententia , mea ſubtiliſſimus , virque in pri-

mis Religioſiſſimus ad numerum octonarium redigens enumerat in prologo libri ſentētiarum; etenim tam aperte illa octo illud declarant, vt niſi mente priuatus aut pertinax negare poſſet: Cum igitur ille verus ſit Deus ipſe ſolus vere eſt lux per quam omnia videntur, vt Ioannis 1. ipſeque etiam ſolus eſt veritas per quam cætera vera ſunt, vt Ioannis 14. ego ſum via, veritas, & vita, verùm cum ipſe manifestauerit verbo, & opere animam eſſe immortalem, verbo quidem cum malis minatur ignem æternum, bonis vero vitam æternam promittit, dicit enim Venite benedicti Patris mei &c. & ſubſequitur, ite maledicti in ignem æternum &c. opere vero cum tertia die reſurrexit: verùm quanto lux diſtat à lucido, & veritas à vero, & quanto cauſa infinita eſt potior effectu finito, tanto efficacius hoc demonſtrat Immortalitatem animæ, quare ſi quæ rationes probare videntur mortalitatem animæ, ſunt falſæ & apparentes, cum prima lux, & prima veritas oſtendant oppoſitum, ſi quæ vero videntur probare eius immortalitatem, veræ quidem ſunt & lucidæ, ſed non lux & veritas, quare hæc ſola via inconcuſſa & ſtabilis eſt, cæteræ vero ſunt fluctuantes: Præterea omnis ars debet per propria & conuenientia arti procedere, aliter peccat & inartificioſe procedit vt 1. poſt & ethic dicit Ariſtoteles: ſed animam eſſe immortalem eſt

articulus

articulus fidei, vt patet per ſimbolum Apoſtolorum & Athanaſij: Ergo probari debet per propria fidei, medium autem quo innititur fides eſt reuelatio, & ſcriptura Canonica: tantùm verè & proprie per hæc habet probari: Cæteræ vero rationes ſunt extraneæ, innituntur que medio non probante quod intenditur: non igitur mirum eſt ſi philoſophi inter ſe diſcordant de immortalitate animæ, cum argumentis extraneis concluſioni, & fallacibus innitantur: At omnes Chriſticolæ concordes cum per propria & infallibilia procedunt, cum hæc non poſſint eſſe niſi ſecundùm vnum modum: Ampliùs qui infirmus eſt ſanitatem procurat, nemo autem ſibi ipſi ſit medicus, quoniam & 3. polit. dicitur, in proprijs nemo recte iudicat, cum in paſſionibus ſit, quærat igitur aliam, bonus autem debet eſſe peritus in arte, & bonorum meorum, quoniam neque primum ſine ſecundo neque ſecundum ſine primo ſufficiunt: ſed (vt inquit Plato) veluti diſtemperantia in humoribus eſt ęgritudo, corporis, ſic ignorantia eſt animi ægritudo, ignorans igitur an anima ſit mortalis necne, ſcientem & bonum quærat: duo autem genera hominum profitentur hoc ſcire, ſcilicet infideles, & Chriſtocolæ, multi verò infidelium viri doctiſſimi extiterunt, at omnes fere maculatę vitæ, vt alia taceam ſaltem inanis gloriæ, ſolumque

naturalia quæ obſcuram & infirmam cognitionem faciunt intellexerunt: At mult Chriſticolæ ni fallor non minus illis in naturalibus cognouere, vt Paulus, Dionyſius, Baſilius, Athanaſius, Origenes, duo Gregorij Nazianzenus & Nyſſenus, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius &c. prçterquam quod naturalium cognitionem, diuinorum etiam habuerunt, quæ vt ait Hieronymus, hoc doctus Plato neſciuit, hoc eloquens Demoſthenes: verùm quis niſi inſanus magis crederet infidelibus ſic diſpoſitis, quàm Chriſticolis tam bene dotatis: mihique illud firmam fidem facit, quod Auguſtinus mea ſententia nulli in doctrina ſecundus, etenim minorem Platone & Ariſtotele non exiſtimo, Chriſtiani nominis primo inimicus, tam integerrimæ vitæ factus, in fine de ciuitate Dei ſcribit tot ſe occulta fide vidiſſe miracula, quç intemeratam, inuiolabilem & firmiſſimam fidem oſtendunt, Greg. quoque Papa cuiuis in doctrina & ſanctitate conferendus, tot & tanta in Dialogis adducit vt omnis prorſus ambiguitas remoueatur, quare indubie ipſam immortalem eſſe aſſerendum eſt: verùm non ea via incedendum eſt quà huius ſæculi ſapientes inceſſerunt: qui cùm ſapientes ſe dixerunt ſtulti facti ſunt, quiſquis enim hac via procedet vt exiſtimo ſemper incertus & vagus fluctuabit, vnde credo quod quantuncum-

que Plato tot ac tanta egregie ſcripſerit de animorum immortalitate , firmitatem tamen non habuiſſe exiſtimo, quod coniecturo ex fine Apologię, ibi. n. videtur ſub dubio relinquere: In Timęo etiam cum de hoc ſermonem habiturus eſſet dixit, ſatis ſibi eſſe ſi in re tam difficili veriſimilia diceret, quare omnia eius dicta conferendo, mihi videtur magis opinando quam aſſerendo loqui , conatuſque eius eſt ciues bonos facere non autem doctos : verum vt dicit D. Thomas ſecunda ſecundę art. 3. queſt. 1. cum opinione falſa ſtat actus moralis : At via fidelium incedentes, ſtabiles, & inconcuſſi permanent, quod diuitiarum honorum , voluptatum , & omnium mundanorum contemptus declarat, & demum corona Martirij quam ardentiſſimè affectabant , affectatamq; cum ſumma voluptate conſequebantur.

Hæc itaque ſunt quæ mihi in hac materia dicenda videntur: Semper tamen & in hoc, & in alijs ſubijciendo ſedi Apoſtolicæ Quare , &c.

Finis impoſitus eſt huic tractatui per me Petrum filium Ionnis Nicolai Pomponatii de Mentua, die 24. menſis Septemb. Anno Chriſti 1516. Bononiæ Anno 4. Pontificatus Leonis 10. ad laudem indiuiduæ Trinitatis, &c.

[illegible] ſtatera [illegible] egio [illegible]
[illegible] ſ [illegible]
[illegible] quid [illegible]
[illegible] Apoſt [illegible] videtur [illegible]
[illegible] quæ [illegible] ego etiam [illegible]
[illegible] opem [illegible]ius eſſe [illegible]
[illegible] in re tam [illegible] verif [illegible]
[illegible] quare cum [illegible] conte [illegible]
[illegible] videtur magis [illegible] quando [illegible]
[illegible] loqui, [illegible] eius [illegible]
[illegible] facere [illegible] doctos [illegible]
[illegible] D. Thom [illegible]
[illegible] cum [illegible]
[illegible] A [illegible] tes, [illegible]
[illegible] peccati [illegible]
[illegible], volup[illegible], & [illegible]
[illegible] contem[illegible] declarat, & [illegible]
[illegible] Martini [illegible]
[illegible], aſſectatam [illegible]
[illegible]bantur.

[illegible] mihi in hac [illegible]
[illegible] videntur [illegible] tamen & in [illegible]
& in aliis ſubſcri[illegible] ſedi Apoſt[illegible]
[illegible], &c.

[illegible] impoſitus [illegible]
Ferrar[illegible] Nicolai [illegible]
[illegible] Marma[illegible] die 24 menſis Septemb.
Anno Chriſti [illegible] Anno [illegible]
[illegible] Leonis [illegible] ad laudem [illegible]
[illegible]

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google